







600094188-







COMMENTATIONES HISTORICAE

DE

XENOPHONTIS HELLENICIS

SCRIPSIT

G. R. SIEVERS, Dr.



PARS PRIOR,

QUA CONTINENTUR QUAESTIONES DE LIBRIS I et II.

BEROLINI

TYPIS ET IMPENSIS GE. REIMERI

A. 1833.

Quum inter omnes constet, vix aliud historiae Graecae tempus esse, quod tantopere animos nostros teneat, quam bellum Peloponnesiacum, neque quemquam, qui id conscriberet, digniorem fuisse Thucydide, maxime dolendum est, scriptorem quod susceperat opus absolvere non potuisse [1]). Si universi belli historiam cognoscere cupimus, confugiendum nobis est ad eos, qui post illum ad res conscribendas animum intenderunt. Sed et hoc in loco iniquior obtinuit fortuna. Jam antiquitus oblivio intercepisse videtur Cratippi [2]) opus, quod fere penitus interiit. Atque ex Theopompi [3]) Hellenicis perpauca tantum ad haec tempora pervenerunt, quum Philippicarum historiarum fragmentis Grammaticorum et eorum, ex quibus talia colligi solent, libri abundent. Supersunt nobis tantum Hellenica Xenophontis, cujus quidem cetera opera magnam justamque meruerunt laudem, hoc in varias incurrit reprehensiones, et procul dubio pauci summa indignatione non commovebuntur, qui Thucydide lectitato et adamato Xenophontem evolvunt, praesertim si putant eum Thucydidis historiam supplere voluisse. Sed credo aliquid de legentium indignatione detractum iri, si sumimus, non eo pertinuisse Xenophontis consilium. Jam enim qui utrumque scriptorem inter se comparaverit, facile sibi persuadebit, aliud huic, aliud illi propositum fuisse. Thucydides enim bellum tantum Peloponnesiacum describere neque nisi ad ejus

finem res narrando persequi voluit. Xenophon autem historiam in multos annos post illud bellum perduxit. Quae quum Niebuhrius [4]) quo fuit ingenii acumine videret, eam ingressus est viam, ut Hellenica in duas partes distribuenda esse censeret, atque libros duos priores, quibus ultima belli Peloponnesiaci tempora continerentur, a posterioribus separatos Thucydideae historiae supplementum esse vellet; scriptosque esse, priusquam auctor in exsilium ejectus hostiles adversus patriam spiritus induisset. Sed vix puto hac ratione difficultatem summotam esse. Thucydides enim, ut ipse disertis verbis profitetur [5]), usque ad id tempus, quo Atheniensium dominationi Lacedaemonii finem imposuerunt atque longos muros et Piraeum occupaverunt, res persequi volebat. Xenophon autem duobus prioribus libris etiam triginta virorum dominationem et constitutam et dissolutam complectitur, ita ut in ipsis alterius consilium secutus esse vix recte dici possit: nam historia qualis Thucydidea non minus quam carmen epicum, certissimis finibus circumscripta est. Atque eodem modo et ceterorum, qui Thucydidem continuasse dicuntur, Theopompi et Cratippi opera partienda essent; uterque enim ad pugnam Cnidiam progressus erat: et tamen ne vestigium quidem exstat, veteres hac de re cogitasse. Id quod de Xenophontis historia Graeca factum esse videri potest. Nam Dionysius Halicarnassensis quum de Xenophonte haec referat [6]): *Πρῶτον μὲν γὰρ τὰς ὑποθέσεις τῶν ἱστοριῶν ἐξελέξατο καλὰς καὶ μεγαλοπρεπεῖς — τήν τε Κύρου παιδείαν — καὶ τὴν Ἀνάβασιν τοῦ νεωτέρου Κύρου — καὶ τρίτην ἔτι τὴν Ἑλληνικὴν καὶ ἣν κατέλιπεν ἀτελῆ Θουκυδίδης, ἐν ᾗ καταλύονταί τε οἱ τριάκοντα καὶ τὰ τείχη τῶν Ἀθηναίων, ἃ Λακεδαιμόνιοι καθεῖλον, αὖθις ἀνίστανται:* secernere quodammodo videtur historiam Graecam ab ea quae sit Thucydidis supplementum. Sed obstat, quod vocabulo *τρίτην* unum tantum opus intelligi potest, et in ea historiarum

parte, quae supplementi causa composita fuisset, Xenophon de restauratis muris scripsisse dicitur: quare cum Kruegero, eruditissimo Historiographicorum Dionysii editore, vocabulum *καὶ* delendum esse arbitror. Hac quidem ratione Dionysius quantum complexa essent Hellenica temporis, nimis arctis finibus circumscripsisset: sed quum in illo loco id imprimis ageret ut Thucydidem vituperaret, quod tam tristem sibi scribendi materiem sumpsisset et tam iniquo loco defecisset, ei opponit Xenophontem qui ejusdem tristis materiae finem laetissimum depinxerit. Illas autem, quibus tunc oppressi essent Athenienses, calamitates, restauratis muris finitas esse, non immerito existimat Dionysius: sed quas postea res gestas tradiderit Xenophon, earum nullam habet rationem. Neque aliter rhetoris verba accipienda sunt, quum ei dicitur Theopompi historia Graeca *τὰ λοιπὰ τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου περιέχουσα* 7), quae falsissima essent, si de universo ejus opere egisset. Fortasse ex iis duobus Dionysii locis profecta sunt Marcellini 8) verba, quibus imprimis Niebuhrius in sententiam suam inductus est; sunt haec: *Θουκυδίδης ἀπέθανε συγγράφων τὰ πράγματα τοῦ εἰκοστοῦ καὶ πρώτου ἐνιαυτοῦ· εἰκόσι γὰρ καὶ ἑπτὰ κατέσχεν ὁ πόλεμος· τὰ δὲ τῶν ἄλλων ἓξ ἐτῶν πράγματα ἀναπληροῖ ὅτε Θεόπομπος καὶ ὁ Ξενοφῶν, οἷς συνάπτει τὴν Ἑλληνικὴν ἱστορίαν.* Quae quidem verba quominus omnibus persuadeant ut in Niebuhrii sententiam discedant, id impedire mihi videtur, quod inveniuntur in eo libro, qui tot et scriptoris et librariorum erroribus scateat; quumque summo jure alii loci emendentur, cur non hic, de quo agitur? Aut deleri possunt vocabula *οἷς συνάπτει τὴν Ἑλ. ἱστ.* aut *οἷς* quemadmodum voluerat Grauertus 9) facillima conjectura mutandum est in *ὅς*. Sed quid multa? omnino non tanti est locus ille, quo solo Niebuhrii sententia nitatur: quae, aliis jam rationibus constituta, eo tantum firmetur. Primaria ejus haec

est ratio: libros duos priores non ita multo post eas quas contineant res gestas compositos esse; Xenophontem enim, quum libri secundi in fine narret [10]), Athenienses, concordia cum tyrannorum sociis reconciliata et amnestiae jurejurando icto, etiam tunc in hoc jurejurando perseverare, plus quadraginta annis transactis ita scribere non potuisse: jam plurimos eorum, qui rebus ipsis interfuissent vel cum tyrannis fecissent, tunc fuisse mortuos neque tanto temporis spatio interposito populi fidem tantis laudibus extollendam fuisse. Sed hac in re ante animum proponendum est ingenium populi Graeci. Ulciscendi cupido in rebus publicis maximas post diuturnum tempus discordias denuo excitabat: odia non per singulorum vitas, sed, ut ita dicam, in aeternum manebant. Nota atque celebrata sunt nonnullarum inter se civitatum odia: quamdiu Messenii fuerunt, Lacedaemoniorum odio flagrabant: neque ullo tempore mutua Plataeensium et Thebanorum inimicitia cessabat [11]). Etiam familiae nonnullae inexpiabili simultate distinebantur; ut Miltiadis et Periclis familiae. Xanthippus, Periclis pater, olim Miltiadem accusaverat; cujus nepos Alcibiadi, Periclis pupillo, diem dixit [12]). Quumque eadem, quae pater senserat, fere liberi nepotesque sentirent, in gravioribus delictis tota plerumque familia puniebatur, praesertim si contra deos peccatum erat. Quis ignorat Alcmaeonidarum fata, qui propter unius gentilis impietatem per multos annos patrio solo arcebantur [13]). Idem cecidit triginta virorum in socios et liberos: eodem modo, quo a Megacle, tunc ab illis religio [14]) violata erat. Rarissimum certe exemplum videbatur Xenophonti, Atticum populum tam diu amnestiae decretum servasse, nec dum ab hominum in deos mortalesque sceleribus contaminatorum progenie poenas expetiisse, praesertim quum non deessent qui populo, quanta mala a tyrannis passus esset, in memoriam reducerent, quumque omnino Graeci facilius oblivionem promissam, quam injuriam acceptam obliviscerentur.

Quod attinet ad aequabilitatem et patriae caritatem, quam Niebuhrius in prioribus libris inesse putat, in posterioribus desiderat: jam per se par erat, Athenarum a tyrannorum dominatu liberationem, quae res illustrissima fuit universi quod describit Xenophon temporis, vigidiore colore depingi, quam illa tempora, quibus diligentius spectanti Atheniensium respublica maximi in rebus Graeciae momenti erat, sed omnium civitatum oculi ab iis se averterant et utrum Spartani an Thebani victores evaderent, id in discrimine esse videbatur. In posterioribus temporibus describendis Xenophontem quae ipsi cum Agesilao intercesserat necessitudo occoecavit et deduxit, ut res ab Epaminonda gestas tam iniquo animo tractaret. Haec quidem locum non habebant in ultimis belli Peloponnesiaci temporibus: quin etiam, ut suspicor, utraque regia Spartanorum domus tyrannorum dominatione, quam Lysander ipsis regibus molestissimus constituerat, dissoluta gaudebat [15]. Haec igitur salva regis amicitia memoriae tradere potuit: sed et in prioribus his libris nonnulla quae offendere posse viderentur, ut infra demonstrabimus, praetermisit.

Quamobrem quum Niebuhrio accedere non possim; neque tamen videam quomodo universi septem libri supplementa Thucydidei operis dici queant, ut vulgo dicuntur, iisque in editione Aldina inscriptum est: equidem puto, Xenophontem, ut Theopompum et Cratippum, Thucydidis propositum non spectantem historias suas conscripsisse. Idque Diodorus significare videtur, quum dicit [16]: *Ξενοφῶν καὶ Θεόπομπος, ἀφ᾽ ὧν ἀπέλιπε Θουκυδίδης, τὴν ἀρχὴν πεποίηνται.* Nobis autem, ut nostram belli Peloponnesiaci notitiam suppleamus, ad illos scriptores confugiendum est: vulgo id quod nobis faciendum est cum ipsorum consilio confundimus. Sic et in aliis historiae partibus auctores duos quos inter nulla intercesserat ratio, conjungimus atque componimus, ne cogitantes quidem alterum alterum sup-

plere voluisse: quamquam in rebus multo evidentioribus hoc modo erratur: quin Bougainvillius [17]) Thucydidis opere Hellanici Atthidem continuari putat. Ejusmodi continuatio longe abhorret ab ingenio classici temporis; mos ille erat scriptorum historiae Augustae et Byzantinae.

Neque mirum videri potest, quod tres illi rerum exploratores opera sua inde inceperunt, ubi Thucydides defecerat. Quid enim causae esse potuit, quapropter, quod a summo scriptore jam tractatum erat, id tempus describere conarentur? quis tam insolens esse potuit qui in eadem arena cum Thucydide contendere auderet? quid quisquam novi afferre potuit, ubi veracissimus et rerum investigandarum diligentissimus scriptor jam antea versatus erat? Talia animum inducentes triumviri illi inde ubi historicorum princeps defecit initium sumpserunt. Etiam Ephorus postquam historiam universalem ad tempus ut ita dicam Thucydideum perduxit, non tanta quanta alibi usus esse videtur diligentia: ubi enim principatus jam occupatus est, vires deficiunt. Certe Diodorus, unde aliqua ex parte Ephoreae historiae imaginem exprimere poterimus, quique, ut mihi videtur, neglectis aliis scriptoribus, ejus imprimis vestigia premit, per priorem belli Peloponnesiaci partem non tam diligentem quam alibi secutus esse videtur auctorem.

Niebuhrius autem sententiae suae argumentum etiam id esse voluit, quod in prioribus duobus libris Xenophon quemadmodum fecisset Thucydides, res Syracusanas secundum annos digestas memoriae tradiderit, id quod in posterioribus omiserit. Hoc in loco non possum quin a viro gravissimo longe dissideam. Id enim ipsum mihi esse videtur, cur Xenophontem Thucydidis consilium secutum esse negem. Hic enim nihil nisi quod ad bellum quod describit pertineat literis mandat [18]), aegre id quidem nobis ferentibus, qui plura multis de rebus cognoscere cupiamus; nihil narrat de ostracismo illo celeberrimo, quo

Alcibiades et Nicias in discrimen adducti, atque Hyperbolus tandem patria ejectus est[19]: nihil de innumerabilibus Cleonis facinoribus. Neque, quantum sciam, nisi ubi bellum quod inter utrasque partes gerebatur attingunt, ullo loco rerum Siciliensium habuit rationem[20]. Contra Xenophon multa in prioribus libris nobis exhibet de Sicilia[21]), de Thessalia[22]), de Persis[23]); omittuntur talia in ceteris quinque libris. Unde quis conjecerit, Xenophontem initio de historia universali conscribenda cogitasse, postea a consilio destitisse. Sed fortasse alia ratio obtinet. Facile talia ad finem singulorum annorum interponere potuit, quos prioribus libris enotavit, secutus Thucydideam annorum numerationem[24]). Namque Xenophon naturalium annorum descriptione per totum quidem opus usus esse videtur, ita ut a vere inciperet quisquis annus, quem tamen non tam accurate quam Thucydides in aestatem et hiemem distribueret: sed in posteriore historiarum parte numerationem omisit annorum, quos in prioribus duobus libris ex initio belli Peloponnesiaci computavit. Profligata enim dici potest illa de Olympiadibus annotatis quaestio[25]): difficilior est ea, quae agit de Ephoris, qui et singuli initio singulorum annorum[26]) et universi bello finito[27]) nominantur. Fuit enim Xenophon adeo Lacedaemoniorum studiosus, ut tale quid ab eo factum esse haud temere exspectari possit. Quin etiam, quemadmodum docet Haackius,[28]) annum, cujus res inde a primi libri capite quinto usque ad caput sextum narrantur, Lacedaemoniorum more incepit atque descripsit. Neque igitur sine ulla causa Clintonius[29]) Ephororum certe catalogum genuinum esse putat. Non tamen possum, quin ab ejus partibus discedam. Si Xenophon per duos priores libros, ubi annorum ex initio belli Peloponnesiaci numeratio satis firma atque commoda erat, chronologia ex Ephoris ducta usus erat, cur eam neglexit per reliquos libros, ubi nullo temporis momento, unde annos computaret, abjuvabatur?

Itaque non dubito Ephororum non minus quam Archontûm nomina pro spuriis habere.

De rebus autem gestis, quas Xenophon per duos priores libros tradidit, secundum annos digerendis quae accurate disputavit Haackius, plane mihi probata sunt [30]).

Quanta autem fuerit fide et diligentia, optime videre possemus, si illi qui una cum eo ad historiam conscribendam animum intenderunt, scriptores adhuc exstarent. Nunc qui cum eo componatur, Diodorus sive Ephorus Diodoricus fere solus restat. Hic mirum in modum, postquam Thucydideum tempus pessime exposuit et imprimis res anno 412 a. Chr. gestas ita ut vix recognoscas depravavit [31]), simul ac Thucydides defecit, viribus quasi augetur, ex negligentissimo scriptore evadit diligentissimus, ita ut ejus narrationes et summi sint momenti, et iis quae Xenophon omisit, supplemento esse possint. Id statim inde proficimus, ut videamus nonnulla ex Hellenicorum initio excidisse. Ineptum sane fuisset, si Xenophon quum Thucydides ultimis verbis de Tissapherne Ephesum profecto narrasset, uno tenore eo modo, quo nunc fit initio Hellenicorum, incepisset pugnam describere inter Athenienses et Lacedaemonios commissam; neque id quidem dixisset, quo tandem venerit Thymocharis ille [32]). Temporis praeterea ratio non probe congruit. Tissaphernes enim ex rectissima Haackii computatione Ephesum profectus est, Julio medio; quae autem initio Historiae Graecae narrantur, facta sunt non multo (πρὸ ὀλίγου) ante hiemem incipientem id est ante Septembris finem. Quare non dubito, quin fere quadraginta dierum intervallum inter utrumque scriptorem desit, in quod nonnulla facta non prorsus ignobilia incidere videntur.

Thucydides [33]) narraverat, Mindarum, rebus ad Cynossema infeliciter gestis, Hippocratem et Epiclem misisse, ut classem, cui praeerat Hegesandridas, ab Euboea arcesserent. Pauca

hac de classe apud Xenophontem legimus; videmus quidem [34]), Hegesandridam classi alicui praepositum esse, sed quae est loci obscuritas, non liquet, quibus navibus praefuerit aut ubi degerit; postea idem naves secum habebat in Thracia [35]); et alter ex iis, qui eum arcesserant, Hippocrates pugnae ad Cyzicum interfuit [36]). Attamen classis, quae eo tempore erat ad Euboeam, permagna fuisse videtur. Hegesandridas enim cum quadraginta duabus navibus in Attico mari apparuerat: paucis tantum, ut videtur, in proelio quod cum Athesiensibus conseruit amissis, adversariorum naves viginti duas ceperat [37]); praeterea non dubito, quin Euboeenses alliique hujus tractus socii Peloponnesiorum quam plurimas naves paraverint: ita ut Hegesandridae classis certe septuaginta tunc navibus constaret. Quid tandem de ea factum esse potest? Subvenit nobis Diodorus [38]), qui narrat, classem quinquaginta navium, quam Epicles ex Euboea arcesserat, per tempestates circa Athon montem totam deletam fuisse, idque confirmat auctoritate Ephori ad Epigramma quoddam in templo Coronensi inventum provocantis. Hac in clade, quum duodecim tantum homines servati sint, Epiclem periisse verosimile est; neque postea ejus ulla fit mentio. Tunc, quum ille ab Euboea proficisceretur, Hegesandridas et Hippocrates in insula remansisse videntur, permoti ab Euboeensibus, quippe qui id, quod animo volvebant opus, virorum Spartanorum sub auspiciis melius se effecturos esse sperarent. Est enim verosimile, Euboeenses statim post defectionem id imprimis cogitasse [39]), quanam re optime Atheniensium ultionem tutarentur; quum scirent, alias civitates insulanas, quae ab iis defecerant, summis calamitatibus affectas esse, quemadmodum Chios, qui in tantas angustias compulsi erant, ut jamjam in Atheniensium potestatem redire cogerentur; talia ab insula sua se prohibituros optime Euboeenses sperabant, si eam mole exstructa continenti conjunxissent [39. a]); hoc modo Athenienses nihil valituros esse,

eorumque impetus infractum iri. Id quod factum est. Nam neque Theramenes quidquam effecit [40], neque qui postea missus est Euclides [41]. (Etiam haec res quamvis maximi momenti apud Xenophontem tacetur, sive de eo narratum sit in operis parte deperdita, sive neglectum a scriptore.) — Itaque perfectis demum pontibus et navibus, quas ab Atheniensibus ceperant, completis, Hegesandridas et Hippocrates Euboeam reliquisse videntur, sed antequam Theramenes in hunc tractum perveniret, cui nulla ibi classis occurrit.

Vocabulo αὖϑις, quod statim initio Hellenicorum legitur, adducor, ut putem, aliud ejusmodi proelium ante Thymocharidis adventum commissum fuisse, quod tamen quemadmodum proelium a Xenophonte primo loco narratum parvi tantum momenti fuisset [42]. Deinde a Xenophonte [43] Dorieus e Rhodo versus Hellespontum proficisci dicitur; Thucydides nihil de ejus illuc itinere commemoravit, reliquerat eum Mileti apud Peloponnesios versantem [44]. At Diodorus narrat, Mindarum eum cum tredecim navibus misisse, ut seditionem Rhodi motam opprimeret [45]. Eas igitur res gestas in tempore inter utrumque scriptorem interjecto posuerim. Neque id sententiae meae adversatur, quod Alcibiades, quem Thucydides jam narraverat [46] Samum venisse, apud Xenophontem demum attingit loca belli gerendi, quum Plutarchus [47] eum tradat, simul audivisset bellum in Hellespontum translatum esse, omnibus viribus illuc properasse et pugnae Abydenae supervenisse. Nam Plutarchus hoc loco cum maxime studium ejus et animi fervorem praedicat, sed fieri potuit, ut Alcibiades impediretur, quominus ea qua volebat celeritate properaret: fortasse (nisi nimis temerarium est tale quid conjicere) eadem tempestate, qua in eodem maris tractu Epiclis classis deleta est, detinebatur; fortasse per eam quatuor e suis navibus amisit, quum apud Thucydidem duas et viginti habeat, apud Xenophontem nonnisi duodeviginti. Neque majoris momenti erat,

quod Tissaphernem proficiscentem, ab altero scriptore Ephesum usque perductum, alter demum in Hellespontum pervenisse tradit[48]: orientalium enim principum, qualis fuit Tissaphernes, profectiones tardissimae esse solent.

Quum igitur mihi persuasum habeam, nonnulla, quae apud Xenophontem non inveniuntur, initio operis deperdito commemorata fuisse, multa sunt, quae in integra historiae parte aut volens aut per negligentiam omiserit. Nihil odiosius est scriptore, qui sponte sua res male ab iis partibus, quibus favet, gestas taceat et fortiter ab alteris partibus facta praetermittat. Crimini id dari potest Xenophonti. Multa praetermisisse videtur jam in prioribus duobus libris, quae Lacedaemonios offendere possent.

Nam post pugnam ad Cyzicum infeliciter commissam Spartani legatos miserunt Athenas, qui pacis conditiones ferrent. Impedita autem pax est opera Cleophontis praepotentis tunc demagogi[49]. Id omisit Xenophon Lacedaemoniorum ut videtur studio permotus.

De Coryphasio a Spartanis recuperato Xenophon nimis brevis est. Diodorus narrat, Athenienses Messeniis qui obsidebantur auxilia duce Anyto misisse, ea autem sero venisse, quamobrem Anyto dies dicta fit[50]. Quare id omiserit, videre non licet: praesertim quum idem certe Anytus fuerit, qui postea Socratis evasit accusator.

Sub Olympiadis XCII anno quarto, $\frac{409}{408}$ a Diodoro narrantur Megarenses Nisaeam recuperasse atque Athenienses eam rem gravissime ferentes, educto exercitu, pugnam cum Peloponnesiis conseruisse magnamque inter Megarenses praecipue stragem edidisse. Eodem anno ab eodem Diodoro Cratesippidas, a Lacedaemoniis classi praepositus, dicitur Chiorum exsules in patriam restituisse[51].

Olymp. XCII, 1. $\frac{408}{407}$ Agis inde e Decelea incursionem in Atticam terram fecisse dicitur sed usque ad Academiam progressus, re infecta rediisse [52]).

Civitates Rhodiacae in unum corpus tunc coaluisse a Xenophonte non traduntur, fortasse, quia minus videre poterat, quanti momenti res illa esset, quam posterioris aetatis scriptores [53]), qui summum illius reipublicae florem oculis suis conspiciebant.

Post pugnam ad Arginusas commissam Lacedaemonii iterum pacis petendae causa legatos Athenas misisse traduntur [54]).

Neque ullo loco narrat Xenophon, quibus, usus Lysander rationibus factionem sibi in Graecorum rebuspublicis conciliaverit: nihil de hetaeriis, per quas tot tantasque res perfecit [55]), nihil de crudelitate, qua ille contra Milesios grassatus est [56]). Tacet etiam quam Diodorus et Plutarchus confirmant, Lysandri ante pugnam ad Aegos potamos versus Atticam profectionem [57]).

Alia autem nonnulla, quae omisit Xenophon, recte omisisse videtur: sicuti quas memoriae prodidit Diodorus denuo motas in insula Corcyra seditiones [58]), et Alcibiadis contra Cumaeos expeditionem et saevitiam [59]). Neque magis certum est, quod Aeschines dicit, Spartanos etiam post pugnam ad Aegos potamos pugnatam Atheniensibus pacem tulisse, ea conditione, ut ceteris possessionibus cedentes, Imbrum, Scyrum, Lemnum insulas retinerent [60]).

In singularum rerum descriptionibus, ubi alii scriptores discrepant, major Xenophonti fides habenda esse videtur. Quum enim non obstat partium studium, non dubitamus, quin vera explanare et voluerit et potuerit. Id quod jam Plutarchus sensisse videtur; quippe qui in Lysandri vita et ubi Alcibiadis historiam ad Xenophontea tempora perduxit, scriptorem eum ad verbum fere expresserit [61]). Contra Diodorus tantopere ab eo discrepat, ut raro tantum eum Xenophontem ante oculos ha-

buisse tibi persuadeas[62]). Multo leviora sunt, quae de hoc, in quo consistimus tempore, retulerunt Justinus et Cornelius Nepos[63]), quorum quidem auctoritati multum tribuendum censerem, nisi Theopompum, quem prae ceteris sequuntur[64]), tanta negligentia expressissent. Nec pluris aestimanda sunt, quae exhibent Polyaenus et Frontinus[65]). Nihilominus, omnibus his adjutoribus arcessitis, res bello gestae bene cognosci possunt: sed quod attinet ad civilem Athenarum illius temporis statum, hi omnes deficiunt; atque etiam Xenophon nihil fere de eo nobis exhibet usque ad triginta viros constitutos, si discesseris a judicio famosissimo, quo decem illi praetores ad Arginusas victores damnati sunt[66]). Quare accuratius in hanc rem inquirendum duxi.

Respublica Attica, quam Solon constituerat atque quibusdam mutatis Clisthenes restauraverat, saluberrimum erat democratiae et aristocratiae temperamentum[67]). Sed inde a bellis Persicis exstitere, qui democratiam ad summum fastigium promovere studerent: idque optime consecuturos sese putarent, si populus omnia antiquorum institutorum quasi retinacula abrupisset et quaecunque cum pristina aristocratia cohaererent abjecisset[68]). Aristocratiae autem in Graecis civitatibus tuendae partes tunc Spartani susceperant: quare illius factionis viri, quales Themistocles et Pericles, ut Atheniensium animos ab iis alienarent atque bella cum iis excitarent, summam operam dabant. Sed non deerant, qui talibus conatibus resisterent atque antiqua instituta tuerentur, qui inquietam et novarum semper rerum cupidam civitatem ad bella cum barbaris gerenda deducerent, omnibus contra viribus Laconicum bellum impedire conati. Earum partium erant cives et nobilitate et divitiis maxime insignes; et propter id ipsum pacem cum Lacedaemoniis conservandam curabant: nam si cum iis bellabatur, maximam suarum rerum jacturam faciebant, quippe quorum praedia per in-

cursiones Peloponnesiorum, quibus Athenienses terra numquam resistere poterant, diriperentur [69]). Pacis praeterea tempore etiam quibus apud exteros populos honoribus fruerentur, multo facilius ostentare poterant: plurimi enim eorum proxeni Lacedaemoniorum aut aliorum Peloponnesiorum fuisse videntur [70]), cujus quidem honoris quam cupidi summi quoque Athenienses fuerint, notum est. At quamvis amicitiae Spartanorum studiosissimi essent et quam diutissime bella Laconica prohiberent, attamen, quum jam gerendum erat, operam suam patriae non detrectabant, ne dum de proditione aut republica in Oligarchiam mutanda cogitarent; gravissima injuria Cimonis aut Niciae manes afficeret, si quis hoc de iis suspicaretur. Semper fere, quum exercitus adversus Lacedaemonios mittendi erant, Athenienses harum partium viros summae rerum praefecerunt [71]); quod quis facturum fuisse putabit populum prae ceteris ad suspiciones pronum atque inclinatum? Ejusmodi conatibus semper abstinebat factio illa, quam aristocraticam appellare solemus: talia agitabat pars civium ab ea diversissima; quam quidem jam pridem in republica Attica exstitisse negari non potest. Sic antequam ad Tanagram pugnatum est, quum Spartanorum exercitus in Boeotia esset, nonnulli Athenienses eum advocarunt ad democratiam dissolvendam [72]): neque defuerunt, qui Cimonis amicos hujus consilii participes esse dicerent: sed quantum ab eo abhorrerent, illi ipsi fortiter contra Spartanos pugnantes neque vitae parcentes ostenderunt [73]). Postea autem per diuturnum tempus nihil fere de oligarchicis conatibus accepimus [74]): prorupit malum illud demum post calamitatem, quam Athenienses in Sicilia acceperunt. Fuit tempus ad res novas moliendas aptissimum. Prosperis enim tempestatibus populus superbire et spiritus sumere solebat, suamque dominationem reipublicae utilissimam putabat; cladibus autem acceptis, multo faciliorem se praebebat — ii tantum, quibus clades illae imputari pote-

rant, eundem esse populum sentiebant; [75]) — tum poenitebat eum rerum a se male gestarum: sibi ipsi diffidere incipiebat: jamque dat aures hominibus de republica mutanda insusurrantibus. Jam statim post cladem Siciliensem populus ea decreverat, quae quam mirum in modum animo fractus esset, ostenderent [76]). Praeterea ii, qui oligarchiae studebant, et hac re adjuvabantur, quod eo tempore ceterae factiones firmitate carebant et principibus suis privatae erant. Hyperbolus, qui Cleonem in republica administranda exceperat, non multo ante expeditionem Siciliensem ostracismo Athenis ejectus erat [77]): nondum evaserat, qui eum subsequeretur; nam Androcles [78]) non tantopere valuisse videtur et Pisander a populi partibus defecit. Aristocratica factio Niciae post obitum prorsus orbata erat. Sed quae tertia erat factio, oratorum rhetorica et sophistica doctissimorum, tunc maxime florere videtur. Primo tempore Periclis imprimis agendi rationem sequendam sibi proposuerant, sed non ea, qua ille, patriae caritate et integritate ducti: ad eos praesertim pertinent, quae Thucydides de viris post Periclis mortem rempublicam capessentibus tam egregie disputat [97]). Agitabantur nimia gloriae et habendi cupiditate: quam quum belli tempore optime explere possent, ad bella populum incitabant, quumque ipsi fere rerum usu et prudentia carerent, juvenili instincti ardore, longinquarum et a patrio solo remotissimarum expeditionum auctores evaserunt: qua re longe a Periclis consiliis discesserunt. Princeps eorum erat Alcibiades, summus haud dubie illius aetatis vir, sed major, quam qui civis in libera republica viveret: talis tantusque homo non potuit non studere unus summum in republica locum occupare: quapropter factionem suam convertit ad paucorum potentiam constituendam, unde si porro anniteretur, ad tyrannidem ipse perveniret. Maximam spem posuisse videtur in expeditione Siciliensi, e qua gloriose finita redux ad suum arbitrium populum esset recturus: de qua

quidem spe eum dejecerunt socii ejus, qui, ut mihi videtur, laetitia nimis gestientes quod expeditio suscipienda perlata esset, mutilatis Hermis, populi in illum animos atque iram converterunt [80]. Alcibiades patria expulsus est, sed qui ejus consilia exsequerentur, remanebant. Atque quum populus quantum ipsi sibi nocuisset Alcibiade ejecto, e rebus tunc male gestis sensisset, haud aegre permotus est, ut ante omnia illum restituendum putaret etiam ea conditione, ut oligarchia constitueretur. Talia consilia praeparata atque composita erant in conciliabulis per eos, qui artibus rhetoricis maxime operam dederant, per Antiphontem, Critiam, Theramenem [81], sed ut populo probarentur, iis utebantur, qui olim ei adulati erant ejusque simulaverant amorem, quorum in numero erant Pisander et Charicles [82]. Iis socios se adjunxerunt etiam viri partium aristocraticarum, qui tamen inter quadringentos non summum locum tenuisse videntur [83].

Populus autem ut jure suo decederet, ea tantum conditione permoveri potuit, ut summa rerum traderetur quinque millibus civium et opibus et aetate florentissimorum, qui in pristinae populi concionis locum succederent; ad eos eligendos potissimum creati sunt quadringenti viri [84].

Ii autem rerum potiti legatos ad exercitum, tunc Sami versantem miserant, qui ei nuntiarent, jam quinque millia electa esse; qua re optime motus tunc Sami exertos sedatum iri putabant [85]. Nihilominus exercitus defecit; atque Alcibiades Samium ab eo vocatus flagitabat, ut pristinus senatus restitueretur et quinque millia eligerentur [86]. Eadem fere postulabat quae mox Athenis inter ipsos quadringentos evasit factio, ducibus Theramene et Aristocrate [87]. Qui autem in proposito perseverabant inter quadringentos, eo utebantur artificio, ut in medio relinquerent, jam ne quinque millia constituta essent: quare Theramenes ejusque socii eo tantum praetextu populum ad arma vo-

care audebant, ut illa constituerentur, non ut populare imperium renovaretur [88]). Tandem coacti sunt quadringenti, ut pro certo pollicerentur, quinque millia a se electum iri, atque indicerent concionem populi, qua res perageretur [89]); interim uni ex collegio, Polystrato, negotium dedisse videntur, ut ea constitueret; qui quidem, si Lysiae fides habenda est, novem pro quinque millibus civium, quae rerum potirentur, elegit [90]). Sed ipso die, in quem comitia edicta erant, nuntiabantur Spartani e Megaris Salamina versus navigare: quos ut a Piraeo arcerent quum concurrissent Athenienses, concio dissoluta est [91]).

Tandem post quadringentorum dominationem exstinctam Athenienses decreverunt, ut summa rerum esset penes quinque millia civium: utque in eorum numero essent, quicunque ipsi sibi arma comparare possent. Id reipublicae genus quum in universum a philosophis tanquam optimum praedicatur, tum quod illo tempore Athenienses constituerunt, a Thucydide summis extollitur laudibus [92]). — Infima enim et turbulentissima plebs per illam conditionem arcebatur a reipublicae administratione: cujus fortasse et propterea minus cupida erat, quia tunc per legem sancitum erat, ne quis magistratus caperet mercedem: qua lege et eorum, qui conciones frequentabant, et judicum mercedes sublatae esse videntur [93]). Constituti praeterea sunt Nomothetae [94]), quibus id curae esset, ne quid in republica contra leges jam obtinentes decerneretur. Deinde sciverunt Athenienses, ut Alcibiades aliique cum eo exsules in patriam restituerentur [95]), nonnullos autem quadringentorum principes, eos imprimis, qui ad Lacedaemonios legati missi erant, capitis damnaverunt [96]).

Quae cetera *οἱ πεντακισχίλιοι* decreverint, videre non licet: neque magis certum est, quamdiu is reipublicae status manserit: usque ad triginta viros constitutos eum durasse, nemo mihi facile persuadebit [97]): certe jam non stabat eo tempore,

quo praetores qui ad Arginusas vicerant capitis damnabantur: qua tale quid commissum esset, eam rempublicam Thucydides non tantopere laudasset. Fortasse autem proxime ad veritatem accedimus, si sumimus, quinque millium dominationem dissolutam esse tempore pugnam Cyzicenam excipiente. Videmus enim populum statim post illam victoriam multo majores gerere spiritus: quumque antea propterea, quod animo fractus erat atque deminutus, imperio cessisset, verosimile est, tunc eum jam de potentia sua restauranda cogitasse. Tum demum, si res ita se habet, credere possumus, Athenienses quam post pugnam illam tulerant Spartani pacem repudiasse, suasore imprimis et auctore Cleophonte, quem quis tantum valuisse putabit in republica illa optime administrata [98]? Vetus itaque populi imperium restitutum mihi esse videtur fine mensis Februario 410, vicesimo et primo anno belli Peloponnesiaci, Archonte Theopompo. Accedit aliud quid, unde quis conjiciat, id jam obtinuisse initio subsequentis Archontis Glaucippi. Nam per decretum Demophanti, quod in illud tempus incidit [99], quicunque de republica mutanda cogitarit, gravissimis diris devovetur; idque multo potius referendum esse arbitror ad eos, qui praestantissimam rempublicam contra democratiam licentiorem defendere studebant, quam ad quadringentos, quorum dominatio jam plus octo menses dissoluta erat. Illo decreto populus imperium suum sanxisse quodammodo videtur.

Restaurata autem plebis, ut ita dicam, dominatione, omnia pristina mala denuo eruperunt. Neque defuere sycophantae, pessimum democratiae instrumentum; quorum in numero erant Epigenes, Demophanes, Clisthenes; qui suum in usum reipublicae bona converterunt et maximarum injuriarum auctores exstiterunt: persuaserunt enim populo, ut multos indicta causa capitis damnaret, multorum bona publicaret, alios urbe ejiceret et infamia afficeret [100]. Tum procul dubio renovatae sunt mercedes,

quibus potissimum populus ad rempublicam capessendam incitabatur [101].

Inter eos, qui illo tempore honore dejecti sunt, mihi etiam Critias fuisse videtur: cujus quidem vita non caret difficultatibus. Id certum est eum fuisse inter quadringentos, sed post eorum dominationem dissolutam etiam in republica gerenda versatum esse: eo tempore autem, quo duces ad Arginusas victores capite damnabantur, in Thessalia vixisse [102]. Haec optime inter se conciliari posse videntur, si putamus, Critiam, quum vidisset quadringentorum res male cessuras, Therameni atque Aristocrati se adjunxisse, et operam dedisse, ut quinque millia constituerentur: postea autem omnibus viribus ut ea respublica conservaretur quum annixus esset, victum per eos, qui plebis dominationem restituere studebant, atque in exsilium ejectum aut infamia affectum Athenas reliquisse et in Thessaliam migrasse. Fortasse ad hoc tempus referenda est altercatio illa, quam Critias cum Cleophonte demagogo habuisse traditur [103]. Critiam post pugnam demum ad Aegos potamos commissam Athenis versantem videmus [104].

Is autem, qui praeter ceteros unus ut quadringentorum dominatio dissolveretur operam dederat, Theramenes, primo tempore amplissimis ornabatur honoribus. Jam proxima hieme cum triginta navibus missus est, ut impediret quominus Euboeenses aggerem, de quo supra dictum est, exstruerent: quod quum non potuisset, insulas circumnavigabat, ut etiam in iis populare imperium restitueret: deinde Archelaum regem Macedoniae Pydnam obsidentem adjuvit [105]: postea se cum copiis Atheniensium, quae in Hellesponto erant, conjunxit atque ita interfuit pugnae Cyzicenae, qua commissa ad Chrysopolin relictus est: in eaque statione totum annum mansisse videtur [106]. Anno sequente, belli vicesimo tertio, pugnae Chalcedoniae interfuit. Inde ab eo tempore nihil de ejus rebus gestis accepimus: remotus

esse videtur a republica, fortasse propterea quia jam tunc populus metuit, ne quid rursus novaret. Id non temere metuit. Qua enim fuit indolis mobilitate Theramenes aegre tulisse videtur praesentem rerum publicarum statum: et quo magis populus eum aliis civibus posthabebat, eo majore molestia eum affectum esse credibile est. Neque defuere, qui se illi socios adjungerent, multi etiamtunc superstites erant Athenis e quadringentis eorumque sociis. Bonos quoque cives aggravescente indies plebis licentia, reipublicae commutationem et, qui eam secuturus esset, belli finem concupisse, verosimile est. Sed Theramenes ejusque socii tum demum populum rursus imperio decessurum sperare poterant, si summis obrutus esset calamitatibus. Id quidem quum aliis rationibus efficere poterant, tum si ii, qui ab ipsorum partibus stabant, exercitibus praefecti, rem publicam hostibus prodidissent. Sed nondum per se satis valebant: necesse erat, alios suas in partes traducerent aut aliorum, fortasse invitorum, opera eos, qui maxime metuendi erant, amolirentur. Circumspiciebant itaque ceteras factiones, cujus maxime auxilio id quod vellent consequi possent [107]).

Factio illa, cui olim Nicias praefuerat, etiamtunc principe orbata erat: atque omnino pauca tantum de ea in medium proferre licet. Id autem nobis verisimillimum est, ab ea tunc stetisse Cononem. Erat enim et nobili loco ortus et maximis pollebat divitiis [108]). Quare jam per se probabile est, optimi cujusque eum studiosum fuisse. Atque eodem modo, quo antea Cimon et Nicias, quavis Athenis obtinente factione, summae belli praeerat. Anno 413 a. Chr. Ol. 91, 3. praefectus fuerat stationis, quam ad Naupactum tenebant Athenienses. [109]). Sed inde ab anno 408 a. Chr. demum aditum majoris laudis et honoris auspicatus est. Eo enim tempore praetor creatus est una cum Alcibiade et Thrasybulo, quibus imperio motis, ipse in honore permansit atque etiam summum in decem prae-

torum collegio locum tenuisse videtur. Quum ceteris imperium abrogatum esset, Cononi soli nihil de dignitate detractum est: unde conjecerim eum non ab Alcibiadis stetisse partibus. Interfuit deinde infelicissimae ad Aegos potamos pugnae: in qua quum non illius culpa res male gesta esset [110]), Cyprum ad Euagoram, Salaminis regem, confugit: neque tunc domum reversus est propter timorem demagogorum [111]), etiamtunc Athenis pollentium, neque postea, quum jam triginta viri constituti essent. Videtur igitur neque ab his neque ab illis partibus stetisse. Id autem nostrae de Conone sententiae obstare aliquis putet, quod postea Persarum contra Lacedaemonios auxilium imploraverit: id quod longe abhorreat ab ea, quam olim illa factio secuta sit, agendi lege. At tempora mutata erant. Viderat Conon per ultima belli Peloponnesiaci tempora nihil jam valere illam in republica rationem: viderat etiam non nisi Persarum opera infractam esse Atheniensium potentiam [112]) eorumque tantum auxilio eam restitui posse. Quapropter, mutato consilio, ad Persas se convertit. Alioquin quidem, qui reipublicae administrandae operam dabant antiquitus, nimis pertinaces erant eorum, quae e republica esse ducebant. Sic Nicias, quum paci quovis tempore studeret, etiam iniquissimo tempore pacem componendam curavit. Et qui postea ab iisdem stetit partibus, Isocrates, nulla habita temporum mutatorum ratione, Athenienses, pace cum Graecis civitatibus conservata, ad bellum barbaris inferendum usque incitabat [113]): primo tempore cives suos cum Spartanis, deinde cum Macedonibus conciliare cupiens. Jam enim res ita evaserant, ut Macedones eundem, quem antea Spartani, apud Athenienses tenerent locum. Hanc ob causam tam multos cives etiam cum Aeschine fecisse arbitror, quos tamen non omnes, quamvis ipse Aeschines fuerit, avaritia aut privatarum rerum respectu ad talem agendi rationem inductos esse credibile est [114]). A partibus autem aristocraticis praeter Co-

nonem stetisse videntur Aristophanes ejusque pater Nicophemus[115]), atque Strombichides et Calliades, nec non Dionysodorus[116]), fortasse etiam Nicias quidam et Nicomenes[117]); certe autem Niceratus, celeberrimi Niciae filius, fraterque ejusdem Eucrates. Hi autem viri, quam studiosi essent liberae reipublicae conservandae, tum maxime ostenderunt, quum post proelium ad Aegos potamos commissum Theramenes aliique paucorum potentiam constituere studerent. Fortiter restitere viri illi: plurimi eorum, quum obligarchorum conatibus se opposuissent, mortem obierunt. Sed antea oligarchi operam dedisse videntur, ut nonnullos eorum in suas partes ducerent: Eucrati certe societatis conditiones tulerunt, quas ille repudiavit[118]). Quare et optimatibus imprimis insidiatos esse tyrannos, quum jam rerum petiti essent, videmus[119]).

Conjuncti cum iis erant in populi causa acriter defendenda oratores nonnulli, alioquin longe aliam agendi viam secuti: eos dico, qui Cleonis locum excepisse quodammodo videntur, qui eadem ratione, qua ille, populum ad bella Lacedaemoniis inferenda et continuanda usque accendebant. Quumque jam Cleon maximum detrimentum per haec reipublicae attulisset: quanto majus illi ei importarint necesse est, qui, reipublicae exhaustis opibus, quum praeterea adversarii auxiliis Persarum adjuvarentur, nihil respicientes tempora tristia et iniqua, qualescunque pacis conditiones repudiandas curarunt? Principem autem inter eos locum tenebat Cleophon. Est poëtarum antiquae comoediae, eos, quos perstringunt, tanquam peregrinos aut certe barbaris matribus natos in conspectum producere: tale quid accidit Therameni, Hyperbolo atque etiam Cleophonti, cujus matrem Platon Comicus Thracam dixerat: atque idem significat Aristophanes[120]). Erat autem Cleophon lyrarum opifex[121]), quemadmodum etiam Eucrates, Lysicles, Cleon, Hyperbolus in tabernis fuerant[122]). Primum, quantum ego sciam, Cleophon commemoratur in Ari-

stophanis Thesmophoriazusis[123]). Multo majorem potentiam adeptus est demum post quinque millium imperium dissolutum; tunc, quemadmodum nobis visum est, honore dejecit Critiam, atque ejus imprimis opera factum est, ut Athenienses post pugnam Cyzicenam, quas tulerant Lacedaemonii pacis conditiones, quamquam non iniquae fuisse videntur, rejicerent: idem impetrasse narratur post pugnam ad Arginusas[124]). Propter nimiam belli gerendi cupiditatem pergraviter reprehenditur ab Aeschine, qui tamen injuste se adversus eum gerit, quum ejus culpa pacem post pugnam ad Aegos potamos impeditam fuisse dicat[125]). Tunc profecto admiratione quadam nos afficit Cleophon, qui obstinato animo, dum quidem spirare potuit, ea, quae e republica duxit, persequutus est. Et Lysias, ut multis aliis in locis, ita in Cleophontis aestimatione diversissimus est ab Aeschine. Lysias enim, qui mala omnia, quibus et quadringenti et triginta viri Athenas obruerant, ipse expertus esset, gravissimo adversus eos ipsos et eos, qui cum iis cohaerebant, conflagrabat odio: ubicunque potest, Alcibiadem et Theramenem vituperat; etsi ille a quadringentis, hic a triginta viris defecerat: sed quondam eos cum oligarchis fecisse, id iis ignoscere non potest; contra iis, qui populi causam defenderant, summas impertit laudes. Quare etiam Cleophontem, qui pro democratia dimicans mortem obierat, etiamsi concedit non omni ex parte bonum civem fuisse[126]), tamen, quodcunque aucupatus tempus, laudibus extollit. Eodem modo Lysias quum vidisset per totam tyrannorum dominationem eos quos aristocraticos vocant, revera libertatis studiosos esse, aeque de iis et bene judicat. Quamvis autem id demus, eum quibusdam rebus gestis talia, qualia ipse studio aut ira incitatus voluerit, consilia assignasse, tamen res per se vere ab eo narratas esse, per eos auctores, qui cum eo componi possunt, confirmatur. — Sed Cleophon morte honesta vitam parum honestam finivit:

quamquam et vitae dedecus eo allevatur, quod pauper mortuus est [127]).

Ex iisdem partibus stetisse videntur Philocles, qui saevissimi in Andrios captivos decreti populo auctor exstitit, dignissimus sane qui Cleoni item talia saepe suadenti succederet: postea praetor creatus atque in pugna ad Aegos potamos captus, poenas crudelitatis luit [128]); atque Cleomenes, qui etiam post pugnam ad Aegos potamos commissam oligarchicis conatibus restitit [129]).

Praeter eos viros multi alii demagogi eandem agendi legem sequebantur, qui tamen non eadem qua illi vi et pertinacia oligarchicorum tentationes repellerent, sed, aut inviti aut corrupti, viam eis patefacerent ad ea, quae volebant, consequenda: talibus enim potissimum oratoribus ii, qui paucorum potentiae studebant, utebantur, ut quos maxime timerent amolirentur. Erant autem iis prae ceteris timendi, qui ab Alcibiadis stabant partibus, plurimi et militiae clarissimi et domi potentissimi: quique ut antea maxime in rebus novandis versati erant, ita tunc longissime ab iis abhorrebant. Alcibiadi certe inde a quadringentorum tempore nihil in vitium verti potest; unus Lysias etiam de rebus deinde ab eo gestis iniquius judicat [130]). — Samum autem a Thrasybulo reductus ibique ab exercitu praetor pronunciatus, tunc maxime reipublicae proderat, quum milites coeco impetu Athenas petere cupientes retinebat [131]); atque simul belli summa ei tradita est, neque terra neque mari hostes pares esse poterant: alia aliam victoria excipiebat: Athenienses plurimas terrarum et urbium, quas post cladem Siciliensem amiserant, recuperabant: atque tanta rerum commutatio facta est, ut Lacedaemonii, qui paullo ante victores viguerant, perterriti pacem peterent [132]).

Haec omnia paullo amplius duorum annorum spatio gesta sunt. Atque tunc tandem Alcibiades in patriam redeundi tempus adesse ratus est [133]). Priusquam autem Athenas peteret, variis

modis civium suorum in se animos scrutatus est atque percontatus; tum demum, ubi omnia undique tuta vidit, ad Piraeum appulit: quo effusa multitudo omnibus eum non humanis tantum, verum et divinis onerat honoribus: certant secum ipsi, utrum contumeliosius eum expulerint an revocaverint honoratius; laudant quae pro patria nec minus admirantur, quae exsul contra gesserit, excusantes ipsi iratum provocatumque fecisse: enimvero tantum in uno viro fuisse momenti, ut maximi imperii subversi et rursum recepti auctor esset: et unde stetisset, eo se victoria transferret: fieretque cum eo mira quaedam fortunae inclinatio. — Sed haec laetitia Alcibiadi minus diuturna fuit. Jam dies ipse reditus propter religionem violatam non paucis offensioni fuit [134]): jamque populum poenitere coeperat honorum immodicorum, quos ipse in illum contulerat: quumque in iis tam facilem se praebuisset, metuebat, ne ad alia quoque facilis ab Alcibiade exsistimaretur: neque deerant, qui de novis ejus consiliis rumores sererent: ad quos corripiendos promtus erat populus, suspectam jam habens, quae erat Alcibiadi, animi excellentiam [135]): quae quidem multo majorem ejus suspicionem moveret, necesse erat, quum non eam, quam sui attulerat exspectationem sustinuisset. Speraverant enim Athenienses — ut vulgus maxima semper aut sperare aut metuere solet — brevi fore, ut ab Alcibiade rursus in bellum profecto Jonia, praesertim Chius insula [136]), et tota Asia recuperaretur et pristinum imperium restitueretur. Sed Alcibiadi, Athenis relictis, quaecumque aggressus est, secus cecidere.

Statim initio ne Andrum quidem parvam insulam recipere poterat: ejusque oppugnatio exercitus partem morabatur [137]). In Asia diuturna magni exercitus classisque absentia Atheniensium opes comminuerat atque Spartanis, qui classi interim praefecerant Lysandrum, tempus dederat ad vires reficiendas, et Persas firmo foedere sibi adjungendos. Quare etiam quae Athe-

nienses facere instituerunt, tardius procederent necesse erat: id jam Atheniensium in Alcibiadem excitavit animos: quanta autem ira eos commotos fuisse putes, ubi nuntius de clade ad Notium accepta et de Delphinio castello per Lysandrum expugnato[138]) Athenas allatus est? Erat quidem parvi momenti clades, atque, innoxio Alcibiade et absente in re necessaria, accepta. Sed statim post proelium Thrasybulus quidam, Thrasonis filius[139]), Alcibiadi adversarius, Athenas properat, omnia in majus extollit, atque efficit, ut ei imperium abrogaretur: adjutus est verisimiliter ab oligarchis, quos maxime operam dedisse par est, ut periculosissimum sibi hominem a republica removerent: eo enim manente, si quidquam humanorum certi est, Athenienses etiam tunc e malis se erigere poterant. Id quod jam paulo post optimi et prudentissimi cives sensisse videntur. Certe apud Aristophanem, qui priore tempore non tam bene de eo aestimaverat, Aeschylus, qui illorum personam quasi gerit, suum de Alcibiade judicium — quo nihil usquam praeclarius dictum est — his verbis pronunciat[140]):

μάλιστα μὲν λέοντα μὴ ᾽ν πόλει τρέφειν·
ἢν δ᾽ ἐκτρέφῃ τις, τοῖς τρόποις ὑπηρετεῖν.

Euripides contra secus de eo judicat: necessitudo autem quaedam illi intercessisse videtur cum Theramene: item aegre fert praesentem rerum statum, atque aliis, qui tunc posthabeantur, rempublicam tradendam esse censet: quibus significari arbitror Theramenem ejusque socios, et Euripidis de Alcibiade sententia ea, quae prae se ferentes iidem eum imperio exuerint. —

Alcibiades autem honore dejectus, relicto cui praefuerat exercitu, in castella sua, quae in Chersonneso communiverat, se contulit. Neque tamen a caritate patriae potuit recedere: sed frustra ante pugnam ad Aegos potamos committendam praetores Athenienses, qui rempublicam in praecipitem casum daturi erant, ad meliora consilia impellere studebat; animos certe no-

stros id movet, si fingimus eum tristi vultu e mediis civibus jam in perniciem praecipitantibus abscedentem, moxque exitus eorum moestum spectatorem: jamque poenas luit eorum, quae olim in rempublicam admiserat. — Victis ad Aegos potamos Atheniensibus, quum triginta viri rerum potiti essent, tantum abfuit, ut Alcibiades iis se adjungeret, ut ad patriam liberandam omni cogitatione ferretur: sed videbat id sine rege Persarum fieri non posse: facile autem se eum amicum sibi conjuncturum sperabat [141]. Haec quum moliretur, Attici tyranni jam animum in eum attenderant: atque Lysandrum edocuerant, nisi Alcibiadem sustulisset, nihil earum rerum fore ratum, quas ipse Athenis constituisset. Lysander autem Pharnabazum, apud quem tunc degebat Alcibiades, permovit, ut eum interficiendum curaret. Sic diem supremum obiit vir, cui nimia, qua ipse fuit, animi magnitudo exitium attulit.

Cum Alcibiade arctissime conjunctus erat Thrasybulus, Lyci filius, Stiriensis, non admodum, ut videtur, nobili loco ortus [142]. Ejus imprimis opera factum est, ut exercitus Samiensis a quadringentis deficeret et Alcibiadem revocaret [143]. Ipse ab eodem exercitu praetor pronunciatus, cum Thrasyllo egregiam ad Cynossema victoriam reportavit: cum eodem et Alcibiade in pugna Cyzicena vicit. Quae autem deinde gesserit, non satis constat. Si audiamus Cornelium Nepotem [144], qui eum bello Peloponnesiacis multa sine Alcibiade gessisse tradit, illum nullam rem sine hoc, etiam tunc exercitui in Hellesponto versanti eum una cum Alcibiade praefuisse verosimile est. Sed obstat, quod neque in pugna Chalcedonia neque in Byzantii expugnatione ab ullo scriptore nominatur: ita ut taceatur per duos integros annos, belli Peloponnesiaci vicesimum secundum et tertium. Quare libenter assentior Diodoro, tradenti eum post pugnam Cyzicenam versus Thraciam profectum esse [145]. Quo quidem rursus abiit anno 408 a. Chr. eo tempore, quo Alci-

biades reditum in patriam parabat: tunc expugnavit Thasum multasque alias Thraciae urbes in Atheniensium redegit ditionem. Mox absens una cum Alcibiade et Conone praetor creatus est: tunc videtur Athenas non reversus[146]), sed multa in his regionibus molitus esse; sub tempore proelii Notiensis Phocaeam urbem oppugnabat[147]): ubi, classe relicta, cum eo convenit Alcibiades. Cui quum post infelicem pugnam imperium abrogatum esset, etiam Thrasybulus honore dejectus est. Ex eo autem satis elucet, quanta inter eos veros intercesserit necessitudo; Thrasybulo enim non magis culpa pugnae assignanda, quam Cononi, qui tamen in imperio permanebat. Fortasse propter hanc amicitiam Lysias Thrasybulo etiam posteriore tempore succenset[148]).

Alcibiade et Thrasybulo de imperio motis, Cononi novem alii praetores adjuncti sunt, plurimi clarissimi viri et patriae amantissimi, quique, ut nobis videtur, maximam partem factionis Alcibiadeae erant. Hoc ut putemus, jam id nos movet, quod, quum de iis judicium haberetur, causam eorum defendebant Euryptolemus et Axiochus[149]), quorum utrumque cum Alcibiade conjunctissimum fuisse constat. Praeter Cononem autem in decem praetorum collegio erant:

Protomachus et Aristogenes, de quibus nihil in medium proferre possumus: casu felici factum est, ut uterque post pugnam ad Arginusas Athenas non proficisceretur.

Archestratus[150]), Phrearrius: cujus nulla fit mentio in descriptione pugnae ad Arginusas: quare putarim eum jam mortuum esse ante pugnam: idque, quemadmodum certum est, Mitylenae. Videtur autem — si tale quid conjicere licet — filius aut frater fuisse celeberrimi illius Chaereae, Paralo navi praefecti et democratiae studiosissimi, qui filius Archestrati vocatur. Cavillabantur quidem Chaeream comici tanquam peregrinum: sed diserte, et quasi eos refutare vellet, Thucydides cum

appellat Atheniensem[151]). Quumque apud veteres Graecos universa semper familia eadem de rebus publicis gerendis senserit, verosimile est, Archestratum eadem, qua Chaereas, patriae caritate et libertatis studio flagrasse.

Thrasyllus, qui certe non infimum inter collegas obtinebat[152]) locum, maxima rerum gestarum laude florebat. De patre ejus et pago nihil adhuc reperire potuimus. Egregiam jam operam navavit in vindicanda populi libertate a quadringentis: a quibus ut deficeret, exercitum Samiensem una cum Thrasybulo permovit: deinde praetor creatus victoriis ad Cynossema, Abydum, Cycicum interfuit. Post hanc pugnam a collegis Athenas missus, ut subsidia arcesseret, Agidem, qui forte eo tempore incursionem in Atticam terram suscepit, magna clade affecit: qua re quum populi sibi amorem conciliasset, quaecunque voluit ab eo impetravit auxilia. Cum quibus expeditionem contra Ephesum suscepit, sed hic contumeliosam accepit cladem: quapropter qui cum Alcibiade in Asia relicti milites magnas interim victorias reportaverant, nolebant misceri Thrasylleis: quo de consilio tum demum destitere, quum hi quoque fortiter atque egregie pugnassent. Thrasyllus autem in imperio mansisse videtur, usque ad Alcibiadis in patriam reditum, qui cum triginta navibus eum Athenas praemiserat. Quae autem ipsi cum Alcibiade intercesserit amicitia, tum ex his videre licet, tum aliunde notum est[153]).

Pericles[154]), celeberrimi Periclis ex Aspasia filius, sed beneficio tantum populi genuinorum civium numero adscriptus. Nihil de priore ejus vita accepimus, quam fuisse eum Archonte Glaucippo, Ol. 92, 3, inter Hellenotamias. Stetisse eum ab Alcibiadis partibus, non est, cur dicam: maximis certe propinquitatis vinculis cum eo conjunctus erat: praeterea verosimile est, eum Alcibiadis post reditum agendi rationem probasse, quippe quae proxime accederet ei, quam pater olim secutus erat.

Aristocrates, Scelliae filius[165]). Qui idemne fuerit, qui inter eos, qui in foedus Nicianum jurabant, nominatur, incertum est[156]): sin autem fuit, putarim tunc eum ab aristocraticis stetisse partibus: neque nomen tantum cavillari videtur Comicus in Avibus. Statim post cladem Siciliensem praetorem eum fuisse invenimus[157]). Inter eos, qui tunc orti sunt, motus paucorum potentiae studebat: erat etiam in quadringentorum numero: a quibus tamen mature defecit, ad Theramenis caussam se adjungens; et multum contulit ad oligarchiam dissolvendam: ejus imprimis opera castellum Eetioneae quod communiverant quadringenti dirutum erat[158]). Propter haec merita magnos in eum honores contulisse videtur populus; videmus eum non ita multo post quadringentorum dominatum sublatum, Glaucippo Archonte, fuisse praetorem in Samo insula[159]). Eo tempore, quo Alcibiades Athenas rursus reliquit, erat in decem ordinariorum ut ita dicam praetorum collegio eique terrestre bellum provincia contigerat[160]). Profectus autem est una cum Alcibiade Andrum versus.

Diomedon, fuerat praetor Samiensis exercitus eo tempore, quo res novae obortae sunt: sed statim iis se opposuerat. Fortasse aristocraticae erat factionis: sed non minus, quam ceteri, libertatis studiosus[161]). Erasinides[162]) et Lysias[163]) aliunde nobis ignoti sunt; Erasinides autem amicus erat Euryptolemi.

Qui autem, remotis Alcibiade et Thrasybulo, jam penes se fore summam rerum, fortasse speraverant, Theramenes aliique ejusmodi homines aegre tulerint, necesse est, eos viros creatos esse, qui vera patriae caritate accensi, summo vincendi studio omnes tenerentur et longissime a rebus novandis abhorrerent: sed multo majore cura et sollicitudine eos commotos esse credibile est post victoriam ad Arginusas reportatam. Jam furens Theramenes omnibus sibi viribus contendendum et enitendum vidit, ut viros illos de loco moveret: et iniquis rebus

Atheniensium fortuna mirum in modum nefariis ejus consiliis obsecundavit. Et ipse et Thrasybulus trierarcharum munere functi pugnae committendae interfuerant: iisque praetores statim post pugnam negotium dederant, ut mortuos tollendos curarent: quod quum per tempestatem exortam fieri non licuisset, praetores Athenas miserant literas, in quibus scripserant se per tempestatem, quominus mortuos tollerent, impeditos fuisse: neque utrique illorum virorum ulla culpa attributa erat. Hoc excipiens Theramenes eam, qua in ipsum illi usi erant, lenitatem in eorum perniciem convertit. Ea refert Xenophon [164]): atque ita, ut ex tota ejus narratione Theramenem imprimis atque sua sponte damnandorum praetorum auctorem fuisse pateat. Aliter rem narrat Diodorus, qui, ut Theramenem culpa liberet, praetores tradit ultro per literas accusasse Theramenem et Thrasybulum. Sed non video, cur non talibus in rebus major fides habenda sit Xenophonti. Praeterea Diodorus semper mirum in modum Theramenis causam defendit [165]): fortasse hac in re Ephorum auctorem secutus. Hic autem erat Isocratis, ut notum est, discipulus: quem quodammodo cohaesisse cum Theramene mihi persuasum habeo: quamvis fortasse non, quemadmodum nonnulli tradiderunt, ejus fuerit discipulus [166]). Thrasybulum autem non socium fuisse hac in causa Theramenis, tum ex Xenophontea narratione elucet, tum mihi persuadet communis, quae et ipsi et plerisque praetorum cum Alcibiade intercedebat amicitia. Neque id ei in vitium verti potest, quod non eorum causam defendendam susceperit: nam per Theramenem jam res eo deductae erant, ut aut ipsi et Thrasybulo aut praetoribus moriendum esset. Erat praeterea minime in dicendo exercitatus. — Sed mirum est Lysiam nusquam hoc facinus objecisse Therameni: fortasse non tam aegre tulit damnatos praetores propter Alcibiadis odium, quo vix major erat simultas, qua contra Theramenem flagrabat [166 a]).

Per alios homines Theramenes in accusandis praetoribus adjutus est: plurimi eorum inter tales demagogos, qualis fuit Cleophon, numerandi esse videntur: qui tamen non eadem, qua ille vi, oligarchorum tentationibus restitisse videntur: sed aut inviti aut corrupti oligarchis occasionem praebebant eos amoliendi, in quibus salus civitatis nitebatur. Cleophon ipse neque in Alcibiadi expellendo neque in judicio de praetoribus habendo nominatur; iis autem temporibus fortasse non tantum quantum antea et postea, valebat; eumque potentiam restituisse conjecerim tum quum Athenienses damnationis poeniteret [167]).

In eorum numero, per quos Theramenes adjuvabatur, ponendus est Archedemus, qui per accusationem Erasinidis totius causae ansam praebuit. Archedemum tanquam peregrinum cavillatur Aristophanes [168]): eo tempore, quo judicium habebatur demarchus erat Deceliae atque, ut graeco utar vocabulo, *προεστηκὼς τοῦ δήμου*: quo munere functum, multa e publicis bonis surripuisse auctor est Lysias: unde jam quis conjecerit inimicum eum fuisse Cleophonti.

De Timocrate [169]) autem, qui, vincto Erasinide, etiam ceteros qui aderant praetores in vincula ducendos censuit, nihil certe nobis in medium proferre licet; neque quidquam de Lyciseo et Menecle.

Plurimum autem ad praetores condemnandos contulit Callixenus [170]), qui illo tempore senator fuisse videtur. Quum autem postea Athenienses injusti judicii poeniteret, cum quatuor aliis — fortasse iis quos diximus — Callixenus in vincula deductus est: sed tunc ultionem effugit: eo enim tempore, quo Cleophon per oligarchos occisus est, motu exorto, qui fuerant vincti, quinque illi e vinculis elapsi sunt. Hoc in loco non possum non conjicere, propter operam quam in judicio praetorum olim navaverant, eos tunc per oligarchos clam liberatos fuisse.

Callixenus autem post sublatum triginta virorum dominatum in urbem rediit, ubi quum omnes cives illius odio arderent, fame confectus diem supremum obiit.

Fortasse praeter eos demagogos etiam Clitophon illo tempore occulte oligarchorum studiis favebat; certe eo modo ab Aristophane [171]) una cum Theramene nominatus, ut colligas quandam inter utrumque intercessisse necessitudinem.

Hac igitur ratione Theramenes amolitus erat et ut ita dicam deleverat fortissimam Alcibiadis factionem: jam ipsi patebat via ad summos honores adipiscendos, ad patriam prodendam et paucorum dominatum constituendam. Erant quidem jam in decem praetorum locum alii suffecti: statim enim postquam illis imperium abrogatum est, Cononi adjuncti erant, Philocles et Adimantus: e quibus Cononem ab aristocraticis, Philoclem a demagogicis, tertium ab oligarchicis partibus stetisse puto. Sed alii quoque praetores eis adjungendi erant: inter quos jam designatus Theramenes, quum in δοκιμασίᾳ, illo indignus honore inventus esset, spe sua decidit [172]). Creati sunt Tydeus, Menander, Cephisodotus. His praetoribus Athenienses infelicissimam ad Aegos potamos pugnam commiserunt: non quidem fortitudine hostium, sed suorum ducum perfidia victi. Id autem constat Cononem et Philoclem vacuos culpa fuisse: idemque de Cephisodoto [173]) credibile est: ceteros rempublicam prodidisse constans veterum opinio est [174]). Fuerat autem Adimantus, Leucolophidae filius [175]), jam implicitus Hermocopidarum caussae: postea alter erat eorum, qui cum Alcibiade Andrum profecti sunt, quique ut terrestre bellum gererent, creati erant [176]): tunc Alcibiadis amicus fuisse, sed postea ab eo descivisse: atque ita in oligarchorum partes transiisse videtur. Post pugnam commissam Lysander vitae ejus pepercit, ut videtur, propter ejus in Lacedaemonios merita: sed post restitutam democratiam a Conone

accusatus est, ut videtur proditionis in pugna commissae [177]. — Menander fortasse idem est, qui expeditioni Siciliensi interfuisse narratur [178]): deinde legatus erat Alcibiadis in pugna Abydensi, anno 410. — De Tydeo nihil compertum habeo [179]). — Ita tandem assecutus est, quod jampridem voluit, Theramenes: Athenae datae erant in praecipitem casum [180]): jamque populus animos demiserat, facilem se praebiturus iis, qui suasores ei extitissent, ut imperio cederet: jam appropinquabat classis Laconica et Lysander, qui quamvis fortissime resistentem populum ferro coacturus esset, ut dominationem paucis traderet.

Qualis autem reipublicae Spartanorum fuerit conditio quum per totum bellum Peloponnesiacum, tum eo quo nunc consistimus tempore; accurate explorare non licuit. Illud quidem per se apparet, rempublicam illam Attica minus turbulentam fuisse, ita tamen in diversum tendisse civium sententias, ut alii belli, alii pacis cupidiores essent. Hac in re maxime conspicuum est, eos, quibus potissimum bella administranda erant, reges Spartanorum non minus quam qui plerumque apud Athenienses praetorio munere fungebantur optimates, bellis inferendis adversatos esse. Sic Archidamus rex pacem cum Atheniensibus conservandam quam diutissime curabat; etiam ad Atticos fines cum exercitu progressus diu morabatur, sperans etiamtunc belli initium impeditum iri [181]). Atque ut pax, quae dicitur, Niciana componeretur, prae ceteris operam dedit Plistonax, ex altera gente rex, etsi etiam aliis quibusdam adductus rationibus [182]). Eos autem, qui pacem illam et quae eam antecesserant inducias jurejurando firmarunt [183]), plurimos belli finiendi studiosos fuisse a vero non abhorret. Ex iis Philocharidas post pacem compositam ut bellum de integro exardescens impediret, Athenas missus est una cum Endio et Leonte, quoniam ut diserte memoriae prodidit Thucydides, acceptissimi erant Atheniensi-

bus [184]). Endius, cum Alcibiadis familia [185]) hospitio conjunctus, quum post cladem, quam Athenienses in Sicilia acceperant, Spartani de expeditionibus suscipiendis in diversas sententias discessissent, tunc forte Ephorus, effecit, ut Alcibiadis sententia vinceret [186]); sed Agidis erat adversarius, quem hanc potissimum ob causam ad alteram magis factionem inclinasse conjecerim. Postquam Alcibiades in patriam restitutus est, Endius rursus operam dedisse videtur, ut bellum Atticum finiretur; certe pacis componendae causa Athenas missus est post pugnam Cyzicenam [187]). A regum partibus praeter eos steterunt Melesippus, bis [188]) Athenas missus, pacis conservandae causa, et Rhamphias, celeberrimi Clearchi pater; qui, ante belli initium cum Melesippo Athenas missus, postea in eorum ducum erat numero, qui in Thraciam exercitum ducere jussi, ea ex causa redierunt, quia mox pacem compositum iri confidebant [189]). Iis ex priore tempore annumerandus est Hetoemaridas [190]), et postmodo Callicratidas nauarchus, cujus indignationem adeo commovebat Persarum fidem contra Graecos implorandi necessitas, ut pro certo polliceretur, si domum reversus esset, summa cum industria concordiam inter Graecos reconciliandam sese esse curaturum [191]). Bellum autem Atheniensibus inferendum semper censuisse videntur Ephori; id quod quum de aliis tum de Sthenelaïda constat [192]). Et Brasidam, quippe cujus virtus belli tempore maxime elucеret, ferocem fuisse ad perseverandum in bello, locuples testis est Thucydides [193]). Idem conjicere licet de Lysandro, a quo non alienus fuisse videtur Agis [194]); sed adversarius exstitit alter rex Pausanias, qui post triginta viros expulsos cum Atheniensibus composuit pacem Lysandri consilio maxime contrariam [195]). Etiam qui Agidi successit, Agesilaus, etsi Lysandri opera regiam nactus erat dignitatem, postea ejus amicitiam adspernatus est: atque in eo maxime ab illo dissidebat, quod Persis potissimum bellum esse inferendum censebat.

Agis autem, cui antea Spartani adeo diffisi erant [196]; ut decem ei *συμβούλους* adjungerent, post pugnam Mantineensem summa valebat auctoritate; per ultimam belli Peloponnesiaci partem cum exercitu Deceliae versabatur; unde suo arbitrio maximas expeditiones suscipiendas curabat [197]. Aliorum jam hoc tempore regum potentia eo modo circumscripta erat, ut duo Ephori una ad exercitum essent: — id quod Pausaniae evenisse traditur [198]) — consiliorum regiorum quasi custodes atque curatores.

Summi momenti erat navarchorum munus quo qui functi sint per ultimum belli tempus non satis constat. Id certum est, Lysandrum navarchum fuisse inde ab auctumno 408 et qui ei successit Callicratidam inde ab 407; atque Aracus, cujus *ἐπιστολεύς* erat Lysander, fortasse inde a fine 406 hoc munere functus est [199]. Antecesserat autem Lysandrum Cratesippidas [200]), cujus quum navarchia finita sit auctumno 408, verosimile est eam incepisse 409, id quod confirmat Diodorus [201]). Sed eum jam hieme $\frac{411}{410}$ Chium ad classem venisse, auctor est Xenophon [202]), qui tamen non diserte addit, eum tunc navarchi munere functum esse. Hac autem ratione inde a pugna Cyzicena, ubi Mindarus navarchus periit, a mense Februario 410 usque ad auctumnum 409, per octodecim menses, nullus omnino fuisset [203]) Lacedaemoniorum in Asia navarchus: id quod non abhorret a vero, quum tunc vix Peloponnesiorum, cui praeesset classis exstaret.

Sed neque navarchorum potestas nullis finibus circumscripta erat; ad eam moderandam priore tempore iis adjuncti erant *οἱ ξυμβούλοι*, non tamen ita ut pari essent suffragio [204]). Post modo nulla eorum fit mentio; successerat fortasse in eorum locum *ὁ ἐπιστολεύς*, qui proximum certe post navarchum obtinebat locum, illius, si quando usus esset, recepturus imperium [205]). Sic Mindari post obitum penes Hippocratem, qui

ejus fuerat ἐπιστολεύς, summam rerum esse videmus [206]. Et Lysander, quum ei non liceret iterum navarchiae magistratum inire, ἐπιστολεύς factus, bellum suo ex arbitrio administrabat.

Quis autem significetur vocabulo ἐπιβάτης, non satis certum est; equidem putarem ἐπιβάτην ναυάρχου dici eum, qui una cum illo navigabat, ut certis in regionibus bellum administraret aut alia ejusmodi perficeret. Sic in Asiam missus est Leon [207]) atque etiam Hegesandridas, qui quum antea illius classis, qua Lacedaemonii Euboeam occupaverant, fuisset praefectus, inde ab eo tempore quo in Asiam profectus est, Mindari vocatur ἐπιβάτης, atque eo nomine stationi deinde cuidam in Thracia propositus erat [208]). Spartani enim antequam copiae educerentur, singulis expeditionibus singulos duces praeficiebant [209]); atque etiam praeter eum, qui summae belli praeesset, alios mittebant, qui ejus vices exciperent [210]), ita ut penes unum esset summum imperium, qui tamen legatos non quos vellet, sibi eligere posset.

Praeter reges et nauarchos nobilissimi Spartanorum hujus aetatis erant:

Clearchus, Rhamphiae de quo diximus filius, qui patris agendi rationem ita secutus esse videtur, ut ad regum amicitiam se applicaret; certe non alienus erat ab Agide rege. Post Atheniensium in Sicilia calamitatem Byzantii Harmostes designatus, anno 411 illuc pervenit statim post oppidi ab Atheniensibus defectionem [221]): inde Cyzicum recepisse videtur [222]); neque ita multo post interfuit pugnae Cyzicenae [223]); qua commissa Deceliam ad Agidem profectus, a rege statim in Hellespontum missus est, ut Athenienses frumenti ex Ponto subvehendi commeatu privaret [214]). Postea eum rursus Harmostem Byzantii esse invenimus eo tempore, quo haec urbs ab Atheniensibus occupata est [215]). Sed, pugna ad Aegos potamos commissa, Lysander Byzantium et Chalcedona urbes in Spar-

tanorum redegit ditionem, quarum utrique praefecit Sthenelaum quendam[216]. Non ita multo post Clearchus denuo Byzantinis imperitavit, quos quidem nimis aspere tractavit, adeo ut Lacedaemonii ei imperium abrogarent[217]. Jam ex his, quae per ultima belli Peloponnesiaci molitus est, satis elucet inquieta ejus indoles.

Dercyllidas, qui 411 a. Chr. a Spartanis missus est, ut Pharnabazum adjuvaret, Abydum et Lampsacum recepit[218]: nihil amplius de rebus ejus bello Peloponnesiaco gestis constat. Bello illo finito, quum Thimbroni Lacedaemonii imperium abrogassent, ipsi summa belli in Asia gerendi tradita est. Sed Abydenorum animos inde ab eo tempore quo eorum fuerat harmostes, ita sibi conciliaverat, ut etiam multis interjectis annis, quum ceterae omnes civitates ad Athenienses defecissent, Abydeni, quibus tunc idem praeerat Dercyllidas in Lacedaemoniorum fide permanerent[219]. Erat autem homo vaferrimus, id quod maxime ostendit eo tempore, quo in Asia contra Persas bellum administrabat.

Neque minore astutia erat Eteonicus, qui quidem ab Astyocho olim praepositus erat copiis terrestribus, quum insulam Lesbum aggrederetur[220]; deinde harmostes Thasi factus, paucis interjectis mensibus insula expulsus est[221], a Callicratida postea Lesbi relictus, ut Mitylenam, quam Conon tenebat, oppugnaret, nuntio de infelici Arginusarum pugna allato, et milites suos et Cononem fefellit[222]; tum Chium cum exercitu profectus, quum milites res novas molirentur, rursus dolo rem impedivit[223]. In pugna ad Aegos potamos committenda terrestri manui praepositus fuisse a nonnullis scriptoribus dicitur[224], qua pugnata in Thraciam missus est[225].

In proelio ad Aegos potamos committendo Lysander usus est etiam opera Hermonis Megarensis gubernatoris, qui eodem jam munere functus erat sub Callicratida nauarcho[226]; for-

tasse etiam Pharacis, qui postmodo ampliores iniit magistratus[227]).

Videmus autem plerosque eorum virorum fuisse harmostas. Nam Lacedaemonii, qui bellum contra Athenienses susceptum a se esse praedicarant, ut Graeciam in libertatem vindicarent, non diu promisso stabant, qui enim a societate Atheniensium defecerant, eorum urbibus jam pridem praesidia, quibus praeerant Harmostae imponebant. Sic eo tempore, quo Brasidas maximas in Thracia receperat urbes, magistratus, qui iis praeessent, miserunt[228]), contra ea, quae pro certo pollicitus erat Brasidas; et post Atheniensium in Sicilia calamitatem id jam in consuetudinem abierat[229]); aegre quidem id ferentibus sociis, qui quotiescunque data esset occasio, harmostas una cum Laconistis urbe ejicerent. A vero tamen non abhorret, etiamtunc respublicas nonnullas sua usas esse libertate, et democratiam quoque retenuisse[230]). Sed reliquam libertatis umbram iis eripuit Lysander, qui compositis et conciliatis sibi oligarchicis factionibus, molestissimas civitatibus constituit oligarchias; quae quum summa rerum penes decem viros esset, δεκαρχίαι appellabantur. Iis tutandis praesertim serviebant jam Lacedaemoniorum praesidia et harmostae[231]).

Qui autem in singulis civitatibus Lysandri consilia maxime adjuverint, de iis certiores nos facit catalogus eorum, quorum statuas Delphis collocatas vidit Pausanias[232]); is quidem honor ad eos collatus erat, quia eorum opera Lysander in pugna ad Aegos potamos committenda usus erat: sed eum vix nacti fuerint nisi Lysandri consiliis favissent, neque in sua quisque civitate ab oligarchicis stetissent partibus. Quin etiam inter illos invenitur Samius quidam, cujus patria quo tempore pugna commissa est, nondum ab Atheniensibus defecerat: fortasse quia paucorum potentiae studebat, urbe pulsus ad Lysandri amicitiam se applicuerat. In illorum numero legimus etiam Diagoram, Rho-

dium, quin qui celeberrimi fuerit Dorici filius, non dubito. Dorieus[233]) olim ab Atheniensibus Rhodo pulsus, Thurios se contulerat commune tunc ut videtur exsulum cujusvis factionis perfugium; post Atheniensium in Sicilia cladem Thurii ab iis defecerant: tunc Dorieus in Asiam pervenit, classi eorum praefectus, certe prae ceteris et defectionis et subsidiorum, Spartanis mittendorum auctor: neque ita multo post Rhodus ab Atheniensibus defecit, tunc Dorieus certe in pristinam patriam restitutus est, qui deinde etiam, denuo seditionibus in insula exortis illuc missus, facile res composuit: ex hac expeditione redux, quum ceteris Peloponnesiorum copiis suam classem in Hellesponto conjungere vellet, concurrit cum Atheniensibus, a quibus coactus est, ut ad litus se reciperet. Deinde fortasse, Dorieus imprimis Rhodios ut universi una in urbe sedes suas collocarent, impulit atque instigavit; atque multa alia molitus esse videtur; sed anno 406 a. Chr. ab Attico praetore Pharosthene circa Andrum captus et Athenas deductus est. Athenienses autem, etsi summa adversus eum ira conflagrabant, non modo vitae ejus pepercerunt, sed etiam inviolatum et sine pretio dimiserunt, quum in memoriam revocassent gloriam ejus et pristinam fortunam. — Sed Dorieus posteriore tempore patriam suam rursus res novas molitam vidit: Conon enim Rhodiis persuadebat, ut in Atheniensium societatem transirent. Quamvis ei rei non interfuisset Dorieus: nihilominus Spartani irati ultimo supplicio eum affecisse traduntur.

Non minore Atheniensium odio ardebat Hermocrates, Hermonis filius, Syracusanus; quo nullum inter tot egregios illius aetatis viros praestantiorem reperisse mihi videor. Hermocrates jam octavo belli Peloponnesiaci anno, ubi primum mentio ejus injicitur, Atheniensium conatibus obviam ivit: tunc Siciliae civitatibus discordia distentis, persuasit, ut, concordia reconciliata, Athenienses ex insula abire cogerent[234]). Postea, quum

jam Athenienses magnam illam contra Syracusanos pararent expeditionem, primus civibus suis quantum immineret periculum denuntiavit, ut cautionem adhiberent adhortatus [235]). Sed eo tempore, quum populare imperium Syracusis obtineret omnesque fortasse ab eo alienum esse Hermocratem sibi persuasum haberent: suspicio contra eum oberta effecit, ut fides ei denegaretur; Athenagorae autem, furentis demagogi contraria sententia acciperetur [236]). Sed mox intellexerunt Syracusani, non falsa sibi nunciata esse ab Hermocrate. In bello jam gerendo tam egregiam navavit operam, ut nulli potius quam ei Atheniensium calamitas adscribenda sit [237]). Attamen, bello finito, quum etiamtunc democratia conservaretur, Hermocrates non magna auctoritate floruisse videtur; certe adversarius ejus Diocles, *multo potentior* erat [238]); id autem impetravit Hermocrates, ut se duce auxilia Lacedaemoniis mitterentur, fortasse non abnuente Diocle, quippe qui libenter tali adversario liberaretur. Profectus est igitur in Asiam, tum maxime sperans, Athenienses jam devictum iri [239]). Sed multa obstabant: praesertim Astyochi Laconici nauarchi segnitia et Tissaphernis perfidia. Quibus quum obviam iisset, eorum suscepit simultates, quare jam aestate anni 411 Spartam petiit, Tissaphernem accusaturus [240]). In Asiam reversus pugnae ad Cynossema committendae interfuisse traditur a Diodoro: sed temporis interjecti brevitas non parvam hac de re movet dubitationem [241]). Sed certe interfuit pugnae Cyzicenae, qua infeliciter commissa, et ipsi et ceteris cum eo ducibus imperium abrogatum est, id quod omnes qui eum noverant indignatione commovebat [242]). Non ita multo post, relicto exercitu instante Tissapherne [243]), convertit se ad Pharnabazum, qui priusquam peteret, pecuniam ei contulit ad reditum in patriam parandum (410 a. Chr. vere et aestate). Sed antea iter ad regem Persarum suscepit (aestate 409) [244]). Demum vere anni 408 navibus et militibus comparatis [245]) in

Siciliam appulsus est. Eo autem tempore insula illa gravissimis calamitatibus perculsa erat: Carthaginenses enim florentissimas urbes Graecas Selinunta et Himeram captas diruerant[246]): Syracusani Himeraeis quidem auxilia miserant: sed qui iis praefuerat Diocles iniquo tempore discedens socios destituerat[247]). Hermocrates autem[248]), Messanam primum appulsus quum frustra inde in patriam redire studuisset, per mediam insulam Selinunta versus processit; expulsos Selinuntios in urbem revocavit atque inde complures contra Carthaginiensium socios fecit expeditiones. Postea Himeram petiit, ibique ossa Syracusanorum in pugna interemtorum collecta atque curribus imposita Syracusas misit, sperans hoc modo fore ut Diocles, cladis auctor, a civibus expelleretur, ipse in patriam restitueretur. Illud evenit: hoc quominus ei contingeret, impedivit populi metus ne Hermocrates revocatus res novas moliretur. Jam vi in patriam redire conatus, nocte in urbem penetravit. Qua re nuntiata Syracusani, obviam ei lati, consertis manibus, eum occiderunt. Sic interiit Hermocrates, Syracusanus Alcibiades, multis in rebus Attico melior et praestantior, qui ut ne eandem gloriam assequeretur, minor patriae nobilitas effecit.

Descriptionem, quam de Atheniensium post cladem ad Aegos potamos acceptam trepidatione exhibet Xenophon, optimam atque egregiam esse haud facile quisquam negarit, quamquam id maligni adversus patriam animi documentum est, quod tanta cum voluptate versatur in depingenda, qua tunc Athenienses pressi sint atque exanimati, culpae conscientia[249]). De factionum in republica conditione nihil fere in medium profert. Id autem certum est oligarchos, quae inde ab Arginusarum proelio et praetorum damnatione nacti erant commoda, summa cum industria esse persecutos. Theramenes quidem ut praetor crearetur, non obtinuerant; sed in eo ratio eorum valuerat, ut Adimantus et Tydeus, quibus vix alii oligarchiae magis prodesse

potuissent, crearentur, utque totus fere Senatus componeretur ex iis, qui paucorum dominationi faverent aut largitionibus moverentur[250]. Atque etiam Nicomachum, qui tunc legibus conscribendis populi jussu occupatus erat, in suas partes duxerant[251]. Pugna ad Aegos potamos commissa, spem antea jam conceptam indies acrius rapiebant. Sed plurimi atque fortissimi harum factionum viri etiamtunc in exsilio degebant aut infamia affecti erant. Quapropter eorum consiliis egregie suffragabatur etiam illa res, quod quemadmodum in gravissimis reipublicae tempestatibus fieri solebat, a populo scitum est, ut ἄτιμοι ἐπίτιμοι fierent. Quo decreto permulti, qui populi dominationi infesti et propterea infamiae poena affecti fuerant, in pristinam dignitatem restituti sunt[252]. Tunc hetaeriae majores sumsere spiritus multoque acriores factae sunt in rebus gerendis; atque quo facilius vires suas colligerent, quinque sibi Ephoros praeposuerunt, quorum in numero erant Critias et Eratosthenes[253].

Neque tamen res popularis prorsus orbata jacebat. Vigebat etiamtunc acerrimus libertatis propugnator, Cleophon; sed quum populum eo tempore, ubi jam nihil sperari, quidvis metui posset, ad modicas pacis conditiones rejiciendas deduceret, gravius certe libertati attulit detrimentum, quam omnes oligarchorum machinationes. Deficiente enim re frumentaria, Athenienses, ea lege, ut muros suos et Piraeum retinerent, cum Spartanis pacem componere voluerant[254]. Lacedaemonii autem, quum poposcissent ut ad decem stadia muri diruerentur, Cleophon ne hac conditione pax fieret, intercessit, acerbissime invectus in Senatum, tanquam reipublicae proditorem. Jam nemo de evertendis muris suffragium ferre audebat: nam qui in Senatu eam conditionem accipiendam esse censuerat, Archestratus in vincula conjectus erat[255], quin etiam decreto cautum est, ne quis talem rogationem ferret.

Sed hac via si pergeretur, jam imminebat durissima fames et certissimum civitatis exitium. Quapropter non dubito quin assensu optimi cujusque excepta sit vox Theramenis, promittentis se exploraturum, quibus tandem conditionibus Lacedaemonii pacem concessuri essent. Neque id, quod Lysias testatur, a vero abhorret, tunc eum credulo populo ea pollicitum esse, quae nullo modo perfici possent: necessarium id erat artificium, quum vix alia ratione cum populo, obstinato et tunc etiam fame efferato, agere liceret.

Theramenes autem eo usus est non ad cives servandos, sed adeo affligendos, ut ad conditiones quamvis iniquissimas descendere, etiam libertatem dimittere cogerentur. Haec saepe ei objectat Lysias, eaque confirmat Xenophontis hoc in loco gravissima auctoritas[256]. Ut Athenienses ultima fame urgerentur, omnemque melioris pacis spem abjicerent, Theramenes plus tres menses apud Lysandrum commorabatur; atque Athenas reversus, Lysandro non plenam esse pacis componendae potestatem, in populi concionem renuntiavit. Vix quidem perspicere licet, quomodo Athenienses tam diu summam omnium rerum inopiam toleraverint, quum jam ante Theramenis ad Lysandrum profectionem res frumentaria defecisset, neque quidquam terra marive in urbem invehi posset.

Interim oligarchis contigerat, ut Cleophontem amolirentur: eo nomine, quod praetorio munere fungens officio defuisset, diem ei dixerunt. Sed quum a judiciis ordinariis eum absolutum iri intellexissent, Nicomachum impulerunt, ut legem publicaret, qua Senatui quoque judicandi hac in causa potestas fieret. Senatus, quem cum oligarchis fecisse supra diximus, Cleophontem capitis damnavit[257]: etsi repugnante, ut videtur altera factione: nam de seditione, in qua Cleophon occisus sit, legimus[258].

Jam Theramenes, ab Atheniensibus Spartam missus, infinitam reipublicae attulit auctoritatem: tum demum Ephori con-

veniendi ei aditum dederant, et pacis faciendae causa socios convocaverunt: inter quos quum non defuissent, qui Athenas delendas esse censerent[259]), tandem pax Atheniensibus concessa est his conditionibus[260]): ut muri Piraeusque diruerentur, omnes praeter duodecim naves traderentur, exsules revocarentur, et Athenienses ad Peloponnesiorum foedus se applicarent. Reipublicae commutandae nulla mentio erat injecta, nisi forte diserte Atheniensibus ut republica a majoribus tradita uterentur concessum est[261]).

Athenas revertenti Therameni populus obviam ibat, metuens ne infecta re veniret. Mirum autem est, cives nonnullos probissimos eosque quos cum optimatibus fecisse nobis persuasum habemus, ut Strombichiden, Calliaden, alios, paci componendae tunc repugnasse: fortasse sciebant Lacedaemoniorum socios discordia distineri, fortasse jam tunc Thebani secreto auxilium iis promiserant[262]). Sed eos, subornato Agorato delatore, amoverunt oligarchi[263]). Postera luce, nemine fere adversante[264]), Athenienses pacis conditiones acceperunt, seque Peloponnesiis dederunt (die XVI Munychionis, Ol. XCIII, 4 sub fine Martii mensis 404 a. Chr.).

Xenophon autem sic pergit: „Deinde Lysander Piraeum occupavit; exsulesque redierunt; atque muros everterunt ad tibicinas summa cum industria, Graeciae libertatem ab hac luce principium sumturam rati. — Proximo autem anno — Athenis oligarchia constituta est, hoc modo: populo visum est, ut triginta viri crearentur conscribendis legibus, secundum quas respublica constitueretur." Egregiam sane, si nihil nisi ista Xenophontis narratio ad haec tempora pervenisset, notitiam maximae, qua Attica respublica affecta est, commutationis haberemus. Sed melior fortuna effecit, ut ne in solo Xenophonte acquiescere oporteret; servavit nobis veraciores et diligentiores auctores, qui

et bonorum Lacedaemoniorum perfidiam et Xenophontis humilitatem manifestam facerent.

Scytala illa, qua pacis conditiones continebantur[265]), Athenienses ipsi muros evertere jussi sunt. Sive revera tardius id faciebant, sive (id quod potius credideris) praetextus ruptae ab Atheniensibus pacis inde sumtus est. Lysander, qui Samum expugnaturus, cum classe jam profectus erat, repente Athenas revertitur. Tunc Theramenes, qui secundum Lysiae[266]) narrationem eum arcessiverat, in populi concionem ab hostium armis circumsessam prodiit, et legem tulit, ut respublica triginta viris traderetur atque ea, qualem Dracontidas publicaret, forma civitatis constitueretur[267]). Fremebat populus. Sed Lysander contendit Athenienses, pace rupta, postulare suo jure jam non posse, ut in pacis conditionibus maneretur: nisi rogationem a Theramene latam accepissent, ultima illos esse passuros. Sic populus decrevit, quod jubebatur et Therameais accepit sententiam[268]). Tum demum Peloponnesiorum exercitus muros evertit[269]).

Triginta virorum autem collegium ita compositum est: populus jussus est creare decem, quos Theramenes, decem quos quinque illi Ephori nominassent: decem reliquos suo ex arbitrio, ut videtur, creavit: quorum tamen in numero vix fuerunt, nisi quos oligarchi probassent[270]).

Catalogum triginta virorum nobis exhibet Xenophon. Fuerunt autem hi: Anesias, Eumathes, Hiero, Hippolochus, Cleomedes[271]), Mnesilochus, Polyarches, Chaereleus, Anaetius, Euclides[272]), Diocles[273]), Theognis[274]), Erasistratus[275]), Hippomachus[276]), Sophocles[277]), Phaedrias[278]), Theogenes[279]), Chremon[280]), Melobius, Mnesitheus, Piso, Phidon[281]), Eratosthenes[282]), Aeschines, Aristoteles[283]), Dracontides[284]), Onomacles[285]), Charicles[286]), Critias, Theramenes. Triginta viri, quemadmodum testatur Xenophon, creati erant, ut eam reipu-

blicae formam constituerent, qua antiquitus Athenienses usi erant [287]). Quam quum publicare deberent, tergiversabantur, atque interim suo ex arbitrio senatum composuerunt et magistratus in amicos suos contulerunt. Quanta autem initio secundum Dracontidae rogationem eorum fuerit potestas, id non satis liquet. Plerique quidem opinantur, summos Atticae reipublicae magistratus, ut Archontes, tunc esse antiquatos eorumque potestatem in triginta viros translatam [288]): quapropter illud tempus non raro Anarchia vocatur [289]). Mirum tamen est, quod Archon hujus anni eponymus [290]) atque etiam Archon ὁ Βασιλεύς dictus commemorantur [291]): Anarchiae vocabulum vix ante Diodorum invenitur et fortasse rectius ad aliud tempus refertur [292]). Neque a vero abhorret, a tyrannis Archontum munus, quippe quod jam antea non magni fuisset momenti, servatum esse. Ad eos potissimum pertinent magistratus illi (ἀρχαὶ), de quibus Xenophon loquitur [293]).

Senatum autem, totum ex iis, qui olim inter quadringentos fuissent, compositum esse auctor est Lysias [294]). Qua re puto, senatum illum non ut antea ex quingentis constitisse, sed multo minorem ejus fuisse numerum: id quod bene convenit cum oligarchica civitatis forma. Senatui judicia tradita sunt [295]).

Inferioris ordinis magistratus erant decem viri Piraei et undecim viri in urbe [296]). Hos exsecutionem eorum, quae triginta viri jubebant, habuisse, certum est [297]). Fortasse eodem munere Piraei undecimviri fungebantur [298]).

In ea autem re maxima reipublicae commutatio fiebat, quod tunc populi concio sublata est [299]), quemadmodum videtur usque ad id tempus, quo leges publicarentur: nam penitus atque in perpetuum Dracontidis decreto eam sublatam esse, vix credibile est. Tota populi potentia, si discesseris a judiciis Senatui traditis, transiit in triginta viros, qui quidem multo potentiores erant quam quadringenti olim viri, quum propter mi-

norem suum numerum, tum propterea, quia neque quot cives in reipublicae societatem vocandi essent, neque quo tempore id fieri deberet, constitutum erat.

Dictatoriam, ut ita dicam, ejusmodi potestatem, per quam a licentissima plebis dominatione ad temperatam aristocratiam vel timocratiam transiretur, certe jam pridem optimi viri desideraverant: non pauci mutata hanc in modum civitatis forma gaudebant [300]. Plerisque plane probata erant ea, quae initio instituerunt triginta viri. Qui quum se urbem a sceleratis injustisque hominibus liberaturos et civitatem ad virtutem et justitiam ducturos esse prae se tulissent, id ante omnia curabant, ut qui democratiae tempore impuniti scelera commisissent et seditionibus rempublicam exagitassent, poenas luerent [301]. Ea populus laetabatur et merito dicebat fieri.

Sed omnia mala exempla ex bonis initiis orta sunt. Triginta viri enim, ubi hac ratione bonorum assensum tulerunt atque potentes jam se esse senserunt, animum intenderunt ad dominationem suam stabiliendam atque prorogandam. Attamen etiamtunc multos cives huic consilio obviam ituros neque populum nisi ferro coactum id passurum esse viderant: qua re externa auxilia quaerebant. Aeschines et Aristoteles a collegio Spartam légati, impetrarunt a Lysandro, ut praesidium Laconicum, Callibio duce Athenas mitteretur. Haec res ut in perpetuum civium animos a triginta viris alienavit, ita praecipua cujusque eorum saevitiae causa exstitit. Illi, qui jam antea, ut Athenarum potentia imminueretur, operam dederant, qui patriam hostibus subjectam facere sustinuerant, id tunc plane perfecerunt. Diruta sunt etiam minora Atticae castella [302]; quumque democratia imprimis rebus mari gestis aucta olim esset, tyranni a mari populum abstrahere studebant: navalia destructa sunt [303]) et qui in Pnyce suggestus inde a Themistoclis tempore mare spectaverat, ad terram conversus est [304].

Triginta viri igitur, Lacedaemoniorum praesidio freti, ut suam dominationem firmarent, eos imprimis viros amovendos esse duxerunt, qui populi gratia florerent, aut libertatis tuendae studio arderent; atque avaritiam explerent locupletissimis insidiabantur civibus. Ea cecidere praecipue in eos, qui aristocraticam olim factionem secuti erant: eorumque insectatio, quanto innocentius semper se egerant, tanto majorem triginta viris invidiam quaerebat.

Bonorum civium primi a tyrannis occisi esse videntur ii, qui ante paucorum dominatum constitutum per Agoratum indicati in vincula erant conjecti, Strombichides, Calliades, Dionysodorus, Nicias quidam, Nicomachus [305]), Aristophanes Cholides [306]).

Eos subsecuti sunt illustrissimi viri, Niceratus, Niciae filius [307]); Eucrates, qui societatem a tyrannis ipsi oblatam repudiaverat [308]), Antiphon, Lysonidae filius [309]), Leon Salaminius [310]). Praeter eos tunc interfectos esse legimus Autolycum [311]), Lycophrontem Lycurgi oratoris patrem [312]), Hippiam, Xenophontem Icarienm [313]), multos alios.

Inter omnes convenit scriptores, illud fuisse tempus atrox gravibus casibus, plenum formidinis terrorisque. Ab oratoribus res in majus augeri crederes, sed etiam Xenophon, qui alioquin aequo animo patriam calamitatibus obrutam conspicit, hoc in loco indignatione quadam commovetur: 'non raro ex illa animi tranquillitate, quae ut in Thucydide admirationem ita in illo adversationem quandam et fastidium affert, excutit eum deploranda tunc Atheniensium conditio. Ferridius tamen Lysiae ingenium, fervidior ejus contra tyrannos indignatio, et tanto generosior, quanto ipse Xenophonte praestantior. —

A vero non abhorrere videtur, quod plerique tradunt, mille circiter et quingentos homines inauditos a tyrannis esse necatos [314]). Sed non fieri potuit, quin ea crudelitas acerrimam

adversus tyrannos iram concitaret; jamque metuendum erat, quum populus promiscue cujusvis factionis viros, juxta bonos et malos libidinose interfici videret, ne ultima quisque audere mallet, quam sollicitam ducere vitam et, quae eam finiret, tyrannorum expectare libidinem. Sive tale quid metuit, sive ea, quae fortasse ei insita erat, animi moderatione ductus, Theramenes collegarum saevitiae jam pridem repugnaverat: sed eum non audiebant plerique illorum, Critiam secuti. Critiae equidem non dubitarim locum inter excellentissimos hujus aetatis viros assignare: certe ad eam quam usque ad mortem sequebatur agendi rationem non respectu privatarum rerum aut rabie quadam bestiali [315]) abreptus erat. Quanta reipublicae afferret detrimenta effrenatum populi imperium, ipse viderat: certe jam diu aegerrime tulerat humilium et illiberalium demagogorum furorem, qui malis artibus Atticum populum paulatim eo deduxerant, ut jam nulla remanerent vestigia gravitatis illius, qua antiqui Athenienses olim excelluerant. Critias, juvenili quodam et generoso ardore flagrans, antiquum tempus, ut ita dicam, reducere conatus est. Sed hoc in consilio exsequendo — id haud facile quisquam negarit — nihil pensi nihil sancti habuit, dummodo ad id quod vellet perveniret. Excusari autem potest infelici temporum conditione, quae vel optimos viros ad immanitatem abripuit. Critias testis fuerat atrocium per totam Graeciam seditionum, quae quantopere hominum tunc animos efferaverint, tam egregie depingit Thucydides. Et propter id ipsum nolim Critiam comparari illis, quae Gallo-Francia vidit, monstris: quae tempore quieto nec sane efferato ipsi horrendae immanitatis evaserunt auctores. — Critias autem, solum patriae remedium paucorum vel unius dominationem esse ratus, quum tyrannidem Athenis constituere studeret, non videbat suam de optima republica doctrinam neque tempori, neque loco convenire. Id enim certum est, nullam reipublicae formam antiqui-

tati Graecae, prout tota vita instituta erat, aptiorem fuisse ea quam liberam rempublicam vocare solemus: et Athenienses nullam aliam civitatis formam nisi democratiam, neque Dorum plerosque nisi aristocratiam ferre potuisse universa historia Graeca evincit. E contrario certe maximae recentis Europae parti aptissima esse videtur monarchia. Sed mirum, eos qui usu et experientia carent aut doctrinis se dedunt, et antiquitus et recenti tempore eam optimam duxisse rempublicam, quae suis temporibus minime esset idonea. Id etiam in Critiam cadit, cujus excellens ingenium totum et inanibus doctrinis et immanitati temporum se dedisse, doleo atque moereo.

Sed Critias, ubi collegium discordia distineri intellexit — videntur enim ad Theramenem magis inclinasse Eratosthenes et Phido [316] —: inter ipsos cives factionem sibi conciliandam duxit: quare elegit tria millia civium [317]), quibus respublica traderetur quique in pristinae populi concionis locum succederent, eadem ratione, qua οἱ πεντακισχίλιοι sub quadringentis viris. Qui autem a republica administranda excludebantur, omnes dearmati sunt [318]): et prorsus traditi triginta virorum arbitrio; quibus quidem sine Senatus auctoritate nulla in tria millia potestas erat [319]): quamvis iis quodcunque vellent nomen ex eorum tabulis eximere liceret [320]). Fortasse trium millium numero et ipsi triginta viri et Senatus continebantur. Extra illorum tabulas [321]) erant, sed certe non minoris habiti, Equites, oligarchiae prae ceteris fautores [322]).

Deficiente autem pecunia, qua Laconico praesidio stipendium solveretur, triginta viri inquilinos, quorum permulti ditissimi erant comprehendere eorumque bona publicare statuerunt. Secundum Xenophontem singuli a singulis tyrannis, secundum Lysiam decem tantum comprehensi sunt [323]): id quod sane mirificum est, quum certe non fuerit, quapropter Lysias numerum

minuerit ea in re, cujus atrocitatem potius augere ipsius interesset: fortasse initio decem tantum, inter quos Lysias ejusque frater, et postea viginti alii comprehensi sunt. — Huic consilio repugnabat Theramenes, neque animo commutatus esse videtur. Eratosthenes autem, qui, postmodo eam ob causam a Lysia accusatus, initio se quoque repugnasse contendit, tandem tamen permotus est, ut sceleris fieret socius. Tunc Critias, etsi olim ei summus cum Theramene fuerat usus, nisi ille amoveretur de tyrannide actum esse ratus, apud Senatum diem ei dixit. Totam actionem et Theramenis caedem satis accurate explanavit Xenophon [324]: hoc loco et Critiam et Theramenem loquentes inducit. Quam habet Critias orationem, eam minus aptam esse arbitror moribus loquentis, quam Theramenis defensionem; profecto ille erat vegetioris et fervidioris ingenii, quam quod Xenophon mente complecteretur. Quod autem orationem a Theramene habitam Schneiderus scriptam postea circumlatam fuisse existimat [325], id neque ullis idoneis testimoniis nititur, neque per se verosimile est. Morte sua Theramenes posteritatem quasi sibi reconciliavit: praesertim si quis res antea ab eo patratas, damnationem praetorum et patriam hostibus proditam oblivione exstinguere potuerit. Neque ad mortem ejus in majus accipiendam nihil contulit iniquior Critiae existimatio et hominum consuetudo eos qui inferiores discessissent, meliores credendi. Mihi quidem honestius cecidisse videtur Critias, qui, etsi eum errore captum esse arbitramur, tenax propositi, se suamque vitam ei reipublicae quam optimam ducebat, condonarit, quam Theramenes, qui ea, quorum praeter ceteris auctor fuerat, sive bona, sive mala ad finem perducere non ausus, in eas, quas ipse paraverat, incidit insidias.

Incertum est, numerumne suum tyranni expleriat: nam quod Satyrus in summi imperii societatem vocatus esse putatur, id maximam affert dubitationem [326].

Theramenis post obitum tyranni edixerunt, ut omnes praeter tria millia urbe exirent[327]). Per se quidem optimum erat corruptelae morum remedium urbem ea qua redundabat hominum multitudine liberare: nam certe ex illa re, quod per Lacedaemoniorum incursiones permulti olim agricolae in urbe sedes suas collocare coacti erant, morum in pejus commutatio initium duxit. Imitati autem triginta viri esse videntur antiquos Graeciae tyrannos, qui eodem modo plebem tractaverant [328]). Sed hoc quoque consilium, quoniam et nimis late patebat et nimia cum festinatione captum perfectumque est, ut atrocissimum erat summamque omnium indignationem commovebat, ita gravissimum attulit tyrannidi detrimentum.

Neque enim alii magis rei quam huic decreto dominationis illius ruina attribuenda esse videtur. Jam ante Theramenis caedem multi fortesque viri in exsilium ejecti erant, qui, tempus in patriam redeundi et tyrannos tollendi aucupati, tacito consensu sibi duces et propugnatores quasi elegerant Thrasybulum et Anytum [329]); sed nondum viribus suis satis fidebant. Populo autem urbe exterminato, Thebas, Argos, Megara replebat exsulum Atticorum multitudo, parata illa ad ultima audenda modo patrium solum conspicere liceret, promtissima ad res novas moliendas ut libertatem recuperaret, acerrime exspectans dimicationis signum [330]).

Omittit hoc in loco Xenophon atrox Lacedaemoniorum edictum: qui, a tyrannis, jam exsulum multitudinem metuentibus impulsi, vetuerunt, ne quae civitas Atheniensium exsules reciperet [331]). Huic edicto non obtemperabant Argivi atque Thebani [332]); in quorum urbes jam se contulerunt exsules, ibique non solum tutum exsilium egerunt, verum etiam spem recuperandae patriae conceperunt. Thebani imprimis, inter quos multi tunc erant democratiae fautores, enixe adjuvabant Athenienses [333]). Suspenso certe animo etiam reliqua Graecia in-

stantis dimicationis principium exspectabat: multae civitates, quas Lacedaemoniorum perfidia fefellerat, liberata Attica, etiam a suis cervicibus injustum durae servitutis jugum depulsum iri sperabant; Lacedaemoniorum dominationem expertae, jam Atheniensium desiderio tenebantur.

Xenophontis de liberatione Athenarum narratio completa atque justa est; nihil fere memoratu dignum praetermittit: raro tantum ab aliis auctoribus discrepat, neque nisi in rebus minoris momenti narrandis, aut in rerum gestarum ordine constituendo [334]), ubi vix dubites, quin ei major fides habenda sit.

Sic statim de numero eorum, quibuscum Thrasybulus Phylen occupaverit, summa exstat discrepantia. Xenophon atque, ut videtur, Cratippus eos fuisse tradunt septuaginta [335]), Pausanias sexaginta, Aristoteles quinquaginta, Cornelius Nepos triginta [336]). Phyle, quam communitam etiamtunc fuisse invenimus, fortasse propterea non est destructa simul cum ceteris castellis, quia Lacedaemonii nolebant Atticam nudam relinquere versus Boeotiam jam suspectam.

Triginta autem viri, quum, educto exercitu frustra Phylen adorti essent, praesidium Laconicum [337]) et Equitum partem, per quos adversarios ab agrorum depopulatione arcerent, in loco quindecim stadia a castello distanti castra ponere jusserunt. Sed Thrasybulei, qui jam septingentis viris constabant, nocturno tempore eruptione facta, tyrannorum exercitum fuderunt fugaruntque. Locus, in quo castra posita et pugna commissa sit, non diserte nominatur a Xenophonte; sed quum quindecim stadia a Phyle eum abfuisse tradat, id non videtur competere cum Acharnarum situ, ad quem locum pugnatum esse narrat Diodorus [338]). Diodorus autem et Justinus etiam ea in re a Xenophonte discrepant, quod post Phylen a Thrasybulo captam populum urbe esse ejectum memoriae produnt [339]). Uterque scriptor testatur, eodem tempore triginta viros Thrasybulo fru-

stra societatem dominationis obtulisse [340]); et legatos Spartam misisse: de quibus rebus nihil apud Xenophontem legimus. Id autem certum est, tyrannos suae ipsorum jam salutis rationem habuisse: statuerunt enim Eleusina communire, quo si usus fuisset, confugerent. Expulerunt igitur incolas ex illo oppido eosque ut capitis damnarent, permoverunt τοὺς τρισχιλίους. Hoc narrat Xenophon: sed nihil exhibet de Salamine, quam eodem modo a tyrannis tractatam esse alii scriptores memoriae prodidere [341]).

In pugna Piraeeusi describenda Diodorus ita a Xenophonte discrepat, ut ex una pugna duas faciat; priorem in qua ceciderit Critias, ancipitem fuisse, ex altera Thrasybulum superiorem discessisse. Idem significat Cornelius Nepos [342]).

Quae commisso proelio verba loquentem Cleocritum [343]) Xenophon inducit, eadem fere tribuit Justinus Thrasybulo. Idem Justinus una cum Critia in proelio cecidisse dicit Hippolochum, Xenophon autem Hippomachum.

Critiae obitu oligarchorum potentia praecipitata est: defuit enim, qui, plenus vi ac vigore, tantis undique irrumpentibus tempestatibus artificiosum illud contineret aedificium. Jam inter eos ipsos, qui in trium millium catalogo erant, ut rebus male gestis fieri solet, discordiae obortae; plurimi qui tyrannis scelerum socii fuerant, prohibere studebant, quominus reipublicae commutatio fieret, metuentes, ne tunc delictorum poenas luerent: ii, qui innocentius egerant, magis ad concordiam cum Thrasybuleis reconciliandam inclinabant. Tandem inter utrosque convenit, ut medium consilium iniretur: triginta viri, munere abdicato, Eleusina abire jussi, atque in eorum locum substituti sunt decemviri, ex singulis tribubus singuli. Sed ejus factionis, quae concordiae cupida erat, ratio in illa re valuit, ut ei viri crearentur, qui Charicli et Critiae adversati essent quosque item ad res componendas paratos esse putarent [344]). Fortasse

tunc resurrexit Theramenis factio. Inter decemviros fuerunt Phidon, qui in triginta virorum collegio fuerat, Epichares, Lamptreus [345]), Hippocles [346]), Molpis [347]), Rhinon [348]), atque Eratosthenes [349]). Hoc autem collegium non minus quam triginta viri abhorrebat a concordia reconcilianda: quin multo acrius quam illi bellum gerebant. Quae tunc Athenis obtinuerit conditio, optime depingit Lysias [350]).

Thrasybulei igitur, qui inde a Piraeo occupato οἱ ἐκ Πειραιῶς vocantur, majore cum industria bellum sibi parandum viderunt. Supererat iis quidem hominum multitudo: sed magna pars nondum armis instructa erat. Huic rei summam adhibuerant curam; cuique demo viri sunt praepositi, qui demotas armis instruerent [351]). Tunc etiam Lysias orator, etsi Athenis tantum inquilinus fuerat, eam urbem, quam magis patria diligebat, egregie adjuvit: subministravit exsulibus ducenta scuta atque duo millia drachmarum; et missus ut milites mercenarios conduceret, trecentos eorum adduxit [352]). In ejus imprimis gratiam atque ut aliorum studium inflammarent, Thrasybulei tunc sanxisse videntur, ut qui bello gerendo operam dedissent, etiamsi peregrini essent, isoteliam acciperent. — Iamque intenderunt animum ad urbem vi expugnandam [353]).

Decemviri autem Athenis, triginta viri Eleusine legationem miserunt Spartam, Lacedaemoniorum fidem implorantes: fortasse triginta viri non tam sua, quam illorum causa: nam id certe non a vero abhorret, utroque communi rursus consilio id egisse. E Lysia videmus tunc legatum fuisse Phidonem; qui Spartanis ut exercitum in Atticam mitterent persuadere conatus, quum id sive sacris impedientibus, sive ipsis nolentibus, non assecutus esset ab iis centum talenta mutuo sumsit [354]), quibus mercenarios milites conduceret, atque id quoque impetravit, ut Lysander imperator eorum fieret, classisque Atticam versus mitteretur. Non igitur publice tunc Lacedaemonii exercitum eduxe-

runt. Lysander Eleusina profectus, Diodoro auctore, mille milites collegit: simulque frater ejus Libyo classi quadraginta navium praefectus, impediebat, ne quid in Piraeum importaretur; ita ut exsules jam ad inocitas redigerentur. Quomodo autem ex tantis difficultatibus interveniente Pausania rege, erepti Thrasybulei sint, id accurate explanat Xenophon. Eucratis autem filius, qui apud Lysiam orationem adversus Poliarchum habuit, rem ita ante oculos ponit, tanquam imprimis Niciae familia Pausaniam misericordia atque benevolentia erga populum imbuerit[355]), neque a vero abhorret, Lacedaemoniorum animos commotos atque percussos esse, quum ejus viri, qui prae ceteris ipsorum coluisset amicitiam, progeniem tam aspere a tyrannis tractatam esse vidissent. Ex eadem oratione discimus, Pausaniam triginta virorum Xenia repudiasse. Quae autem rationes eum ad ejusmodi agendi legem sequendam impulerint, id non satis certum est. Xenophon et Plutarchus omnia Lysandri invidiae tribuunt; Diodorus dicit, eum et invidia commotum et bonae Spartanorum famae consulentem illa egisse[356]). Sed fortasse admiratione quadam et studio Atheniensium, quae in plerisque regum Laconicorum inesse invenimus, ducebatur.'

Auctoribus igitur Lacedaemoniis pax inter eos qui urbem et qui Piraeum tenebant composita his conditionibus, ut utrique inter se concordiam colerent, atque suorum quisque bonorum possessionem recuperaret, exceptis triginta, undecim et decem Piraei viris; si quis autem ex oppidanis in timore versaretur, ut Eleusina ei discedere liceret. Haec Xenophon: de iis qui excepti sint discrepant inter se auctores: Andocides, de amnestiae jurejurando loquens, nominat tantum triginta et undecim viros[357]): sed aut emendandus est ille locus, aut posteriore tempore commutatio illa facta est: errare certe non potuit orator hoc in loco; neque id de Xenophonte credibile est. Nepos autem et Justinus triginta viris addunt decem-

viros, qui in triginta virorum locum successerunt[358]). Id falsum esse arbitror et propter Xenophontis Andocidisque hac de re silentium et quia eo tempore quo pax composita est etiamtunc viri illi τοῖς ἐν ἄστει praepositi fuisse videntur. Accedit, quod postmodo nonnullos eorum in urbe degentes videmus[359]).

Pace composita qui in Piraeo erant, duce Aeximo solemni pompa urbem ingressi[360]), Acropolin ascenderunt ibique Minervae sacrificaverunt. Non ita multo post etiam magistratus creati sunt.

Pergit Xenophon: „posteriore autem tempore, quum eos, qui Eleusina tenebant, mercenarios milites conducere audivissent, Athenienses ad unum omnes contra eos profecti, duces illorum ad colloquium progressos trucidaverunt, reliquis autem per amicos atque propinquos persuaserunt, ut in gratiam reverterentur: atque jurejurando oblivionem rerum ante gestarum polliciti, hodie una rempublicam gerunt: atque in jurejurando perseverat populus." Consentit fere cum eo Justinus: cui si fides habenda, στρατηγοί, de quibus loquitur Xenophon, erant tyranni[361]). E quibus tamen non pauci tunc effugisse videntur: narrantur enim tyranni Attici ab urbibus, in quas confugere voluerant, esse exterminati[362]). Qui autem cum tyrannis Eleusina tenuerant[363]), ad eos potissimum pertinet celeberrimum illud amnestiae decretum, quod distinguendum est a pace, quam exsules ante reditum cum urbanis composuerant[364]). Tunc fortasse populus etiam decemviris Piraei antea exceptis, oblivionem promisit.

NOTAE.

1) Mirum sane est, Dionysium (Epist. ad Pomp. c. 3. p. 36. ed. Tauchn.) eo nomine vituperare Thucydidem, quod historias suas tantum usque ad pugnam ad Cynossema commissam perduxerit, neglecto loco Thucydidis V, 26, ubi scriptor, ad quod tempus progredi vellet, professus est.

2) De Cratippo conferas Kruegerum ad Dionysii Historiogrr. p. 102. 261, et ad Clintonii Fast. Hell. p. 373.

3) Vide sis Theopompi fragmenta (colleg. Wichers), ubi fragmenta 6 — 25 ad historias Graecas pertinent. Sed Wichersius non recte videtur fragmentum 8, e Diodoro petitum, tanquam Theopompeum proposuisse. Diodorum vix puto alium scriptorem comparasse, quam Ephorum. Eandem rem eodem modo traditam esse a Theopompo, unde sua hauserit Cornelius Nepos vit. Alcib. 8, non negaverim. Ad historias Graecas pertinere videtur etiam fragm. 304, quod Wichersius in incertis posuit: conferas Xen. Hell. III, 1.

4) Niebuhrius in: Opusculis historicis et philologicis. Tom. I; antea jam in Museo Rhenano.

5) Thucyd. V, 26.

6) Dionysius Epist. ad Pomp. I, c. 4.

7) Dionysius ib. c. 6.

8) Marcellinus de vita Thucydidis. §. 45. ed. Popp.

9) In Museo Rhenano I, fasc. III. p. 169 sqq.

10) Locus Xenophontis Hell. II, 4, 43 hic est: *καὶ ὀμόσαντες ὅρκους, ἦ μὴν μὴ μνησικακήσειν, ἔτι καὶ νῦν ὁμοῦ τε πολιτεύονται, καὶ τοῖς ὅρκοις ἐμμένει ὁ δῆμος.*

11) Ut de rebus notissimis taceam, etiam posteriore tempore eam ob causam, quod Lacedaemonii cum Augusto faciebant, Messenii Antonii factioni se addicebant Paus. IV, 31.

12) Xanthippus, Periclis pater, diem dixit Miltiadi (Herod. 6, 131), cujus filium, Cimonem, Periclis adversarium exstitisse, notum est. Thessalus, Cimonis filius, postea accusavit Alcibiadem (Plut. Alc. 22). Pericles autem amitinus erat Dinomaches, matris Alcibiadis (Plut. Alc. 1).

13) Primum Athenis pulsi sunt Alcmaeonidae per Epimenidem, auctore Solone (Plut. Sol. 12) deinde per Cleomenem, Lacedaemoniorum regem (Plut. ib. Herod. V, 71): postremo, ut idem fieret, sub belli Peloponnesiaci initio Spartani flagitabant: vide sis omnino Thucyd. I, 127.

[14]) Cylonis socii ad Minervae et Eumenidum aras occisi erant per Archontes, in quorum numero tunc erat Megacles ὁ Ἀλκμαιωνίδης: quapropter universa Alcmaeonidarum gens appellabatur ἐναγὴς καὶ ἀλιτήριος τῆς θεοῦ. Simili modo Theramenes Critiae jussu ab ara, ad quam confugerat, avulsus est. Xen. Hell. II, 3, 53; omnino conferas Lysiam p. 115 ed. Tauchn.

[15]) Praeterea notum est, Agesilaum posteriore tempore Lysandri amicitiam aspernatum esse. Xen. Hell. III, 4, 7. Fortasse solus e regiis gentibus Agis non alienus a Lysandro. Vide Not. 194.

[16]) Diodorus XIII, 42.

[17]) Mém. de l'Acad. des Inscr. T. I. p. 213.

[18]) Id Thucydidi objicit Dionysius Epist. ad Pomp. c. 3.

[19]) Plut. Alcib. 13. Nic. 11. Si quae sub Andocidis nomine fertur oratio contra Alcibiadem, genuina est: de hoc ostracismo agebatur post Melum ab Atheniensibus expugnatam et ante maximam adversus Siciliam expeditionem. Obiter tantum Thucydides VIII, 73 illam rem commemorat; neque de Cleonis improbitate nisi in universum loquitur V, 16. Conferatur Plutarchus de Malign. Herod. 3.

[20]) Aetnaeorum ignium eruptio tantum commemoratur III, 116, quae tamen incidit in ea tempora, quibus Athenienses in Sicilia versabantur.

[21]) Xen. Hell. I, 1 fin. I, 5 fin. II, 2, 24. II, 3, 5 vide Not. 246.

[22]) II, 3, 4.

[23]) I, 2 fin., II, 1, 8. 9.

[24]) Vide sis Ullrichium Quaest. Aristoph. Spec. I, p. 13.

[25]) Conferas Schneiderum in Praefat. editionis secundae Hellenicorum.

[26]) Hell. I, 2. I, 3. I, 6 in. II, 1, 10. II, 3.

[27]) Hell. II, 3, 9.

[28]) Conferatur Haackii Dissertatio chronologica de postremis belli Peloponnesiaci annis secundum Xenophontis historiam Graecam recte digerendis. Stend. 1822.

[29]) Clintonii Fast. Hell. p. 273 N. n.

[30]) Haackius in eo imprimis dissentit a Dodwellio, quod non eodem quo hic modo libri primi caput primum ad duos annos refert, sed eo nonnisi reliquam anni vigesimi primi partem comprehendi putat: qui autem hac ex computatione deesset annus, eum sic lucratur, ut I, 5 excidisse anni unius notationem contendat. Hoc modo omnia optime congruunt. —

Haackius p. 15. Lysandri ad Cyrum profectionem ponit in Januario 407 a. Chr.; quae quidem ratio confirmari mihi videtur hoc Thucydidis loco II, 65: (οἱ Ἀθηναῖοι) σφαλέντες ἐν Σικελίᾳ ἄλλῃ τε παρασκευῇ καὶ τοῦ ναυτικοῦ τῷ πλείονι μορίῳ, καὶ κατὰ τὴν πόλιν ἤδη ἐν στάσει ὄντες, ὅμως τρία μὲν ἔτη ἀντεῖχον τοῖς τε πρότερον ὑπάρχουσι πολεμίοις καὶ τοῖς ἀπὸ Σικελίας μετ᾽ αὐτῶν καὶ τῶν ξυμμάχων ἔτι τοῖς πλείοσιν ἀφεστηκόσιν, Κύρῳ τε ὕστερον βασιλέως παιδὶ προσγενομένῳ, ὃς παρεῖχε χρήματα Πελοποννησίοις ἐς τὸ ναυτικόν. Quae verba ita explicuerim: Athenienses per tres annos resistebant hostibus universis et prioribus et Cyro, postquam is illis accessit: ita ut maximi momenti sint verba illa Κύρῳ τε ὕστερον κ. τ. λ. atque inde temporis, per quod restiterint Athenienses, definitio pendeat. Thucydides enim per totum bellum Peloponnesiacum penes eos, qui maxime divitiis et navibus pollerent, esse victoriam videat: quapropter et in egregia illa historiis praemissa praefatione Graeciae ante se magnitudinem ad divitiarum modum et navium multitudinem exigit, atque etiam hoc in loco id maxime mirum esse significat, Athenienses etiam postquam Cyrus hostibus pecunias subministraverit, tam diu restitisse. Tres autem fere anni sunt inde ab initio 407 a. Chr. usque ad Athenas captas. — Aliter locum interpretatus est Kruegerus, cujus in versione Clintonii latina haec sunt verba: „Cyrum jam 408 Sardes venisse, non modo ex Xenophonte, sed etiam ex Thucydide probari potest, qui II, 65 inter Siciliensem cladem et Cyri adventum non nisi per tres annos bellum gestum esse tradit."

[31]) Quae Thucydidis libro octavo continentur, narrantur apud Diodorum XIII, 34. 36 — 40. Nonnulla jam attigit Haackius p. 11.

[32]) Hellenicorum initium hoc est: Μετὰ δὲ ταῦτα οὐ πολλαῖς ἡμέραις ὕστερον ἦλθεν ἐξ Ἀθηνῶν Θυμοχάρης, ναῦς ἔχων ὀλίγας· καὶ εὐθὺς ἐναυμάχησαν αὖθις Λακεδαιμόνιοι καὶ Ἀθηναῖοι, ἐνίκησαν δὲ Λακεδαιμόνιοι, ἡγουμένου Ἡγησανδρίδου, Dodwellius quidem interpretatur: „Αὖθις inquit, quia jam antea aliam ejusdem Hegesandridae in eundem Thymocharidem victoriam commemoraverat Thucydides VIII, 95." sed si hoc significare voluisset Xenophon, dicere debuisset: ἐναυμάχησαν εὐθὺς Λ. καὶ Ἀθ. ἐνίκησε δὲ Ἡγησ. αὖθις τὸν Θυμοχάρην: sed etiam hac ratione res tempore nimis remota esset spectata: celeberrimum enim ad Cynossema proelium interjectum est. Accedit quod, quemad-

modum mihi videtur, scriptores Graeci classicae aetatis non dixerunt ducem a duce vinci.

33) Thucyd. VIII, 107.

34) Conferas Hellenicorum locum Not. 32 exscriptum.

35) Hellenic. I, 3, 17.

36) Hell. I, 1, 23.

37) Thucyd. VIII, 91, 95.

38) Diodor. XIII, 41. Kruegerus autem (in Comment. Crit. et Hist. ad Thucyd. librum VIII, p. 313) quum non pateat esse intervallum inter utramque scriptorem interjectum, quia neuter hanc rem tradiderit, de narrationis Diodoreae veritate suspicionem movit, falso loco eam positam esse ratus: sed quo in tempore ponenda sit, equidem excogitare non possum. Neque idcirco de Ephori auctoritate quidquam detrahendum est, quod Pausanias in descriptione templi Minervae Itoniae in quo epigramma, quod Ephorus laudaverat, fuisse videtur, nullam ejus injecit mentionem: nimis brevis est illo loco (IX, 34); et saepe alia ejusmodi omisit atque neglexit: quin ne titulum quidem praestantissimum, qui est in Boeckhii C. Inscrip. No. 163, novisse mihi videtur. — Idcirco autem epigramma illud in templo Minervae Itoniae collocatum fuisse videtur, quia Boeoti universi expeditionis infelicis socii fuerant, atque, ut Pausanias dicit, εἰς τὸν κοινὸν σύνιασιν ἐνταῦθα οἱ Βοιωτοὶ σύλλογον.

39) Diodorus XIII, 47 quidem opus ipsum demum sub Olymp. XCIII, 2. 410 a. Chr. refert; sed neque hac in historiarum parte chronologia ejus satis accurata est: et Ephorus ipse rerum ordinem non adeo curasse videtur. Praeterea, quum Theramenes jam hieme $\frac{411}{410}$ ut opus illud impediret missus sit, certe jam tunc Euboeenses id inceperant.

39 a) Contraria ratione Athenienses, si tuto possidere cupiebant civitatem quamdam, longos muros exstruebant ita, ut quodammodo insula fieret. Athenae ipsae a continente sejunctae erant: et simili modo etiam Megara et Patras communire studebant. Thucyd. I, 103. V, 52. cf. V, 82.

40) Diodorus XIII, 47.

41) Conferas Boeckh. C. I. No. 147 (Pryt. 6.) unde missum esse eum videmus ante sextam Prytaniam Archontis Glaucippi, i. e. ante Januarium 409 a. Chr.

42) Quod Auctor Anonymus vitae Thucydidis (§. 5. ed. Popp.) de altera ad Cynossema pugna a Theopompo descripta tradit, id ad alterutrum horum proeliorum referre non ausim: fortasse cogitavit de pugna Abydena, quam Historiarum initio describit Xenophon.

43) I, 1, 3.

44) Thucyd. VIII, 84.

45) Diodor. XIII, 38. Non equidem negaverim, id mihi contra ejus narrationem movere suspicionem quamdam, quod narrat Dorieum missum esse, antequam Mindarus versus Hellespontum proficisceretur: quo tempore nihil hac de re tradidit Thucydides. Facile autem aliquis, neglecto Diodori loco, induci possit, ut quod apud Xenophontem legitur ἐκ Ῥόδου, spurium habeat et intrusum a librario, qui natalem Dorieï locum significare voluerit.

46) Thucyd. VIII, 108.

47) Plut. Alcib. c. 27.

48) Thucyd. VIII, 109. Xen. I, 1, 9.

49) Diodori (XIII, 52, 53) testimonium confirmant Scholiastes ad Eurip. Orest. 371. 772 et Justinus V, 4, cujus haec huc pertinent verba: „His malis fracti (Lacedaemonii) pacem petiere; quam ne acciperent, opera eorum effectum est, quibus ea res quaestum praestabat." Legatio Spartanorum missa mihi esse videtur ante expeditionem, quam sub fine hiemis $\frac{411}{410}$ Agis versus Atticam suscepit, fortasse ob iram pacis ab Atheniensibus repudiatae.

50) Xen. I, 2, 18. Diod. XIII, 64. Etsi Xenophon rem ita narrat, ut eam in fine anni B. P. vicesimi secundi posuisse videatur, tamen conjecerim eam incidisse in priorem anni partem: adjuti enim sunt Lacedaemonii, teste Diodoro, quinque Syracusanorum navibus: atqui aestate illius anni ad Ephesum invenimus quinque Syracusanorum naves, αἳ ἔτυχον τότε παραγενόμεναι Xen. I, 2, 8. Quid si sumimus, easdem illas fuisse naves, atque Hellespontum petentes, primo a Lacedaemoniis ad Pylum detentas, re confecta, in Asiam profectas esse?

51) Diodorus XIII, 65. Cratesippidam Chii fuisse invenimus, apud Xen. I, 1, 32. Sed de Diodori narratione gravissima oboritur suspicio. Sicuti enim res gestas exponit, non possum quin cum Schneidero (ad Hell. III, 2, 11) putem, eo tempore Atticam factionem in Chiorum republica superiorem fuisse. Id quidem per se a vero non abhorret. Chii enim, quum post defectionem ab Atheniensibus vehementer premerentur, paulatim animos despondere coeperant: non ita multo post factionem Atticam haud parvam in eorum republica invenimus. Thucyd. VIII, 24. 38. 40. Sed quod, etiamtunc Atheniensibus Delphinium Chii castellum obtinentibus, nullam eorum injecit mentionem Diodorus, neque ii, qui a Cratesippida urbe expulsi erant, ad illos in castellum confugiunt, id suspicionem

mihi de universa re injicit. Fortasse a Diodoro haec narratio falso loco relata est, pertinetque ad tempora bellum Peloponnesiacum secuta, quibus propter res novas a Lysandro motas gravissimae in Asia seditiones exortae sunt. Xen. Hell. III, 4, 7. Conjecerim eo tempore Cratesippidam Chii harmostam fuisse, et quae eo munere fungens egerit, ad nauarchum a Diodoro relata fuisse. Certe de tempore post bellum Peloponnesiacum intelligendus est Isocrates de Pace §. 32.: tunc Dercyllidas quoque invenit Chiorum exsules, qui Atarnea occuparant (Xen. Hell. III, 2, 11), ad quem eundem locum Diodorus exsules, de quibus loquitur, confugisse dicit: neque verosimile est eos tam diu — usque ad Dercyllidae adventum — castellum illud obtinuisse. — Sed eam quoque viam ingredi licet, ut sumamus, Chios, quo tempore Cratesippidas in insula comparuit, neutris partibus favisse neque Lacedaemoniis neque Atheniensibus: id quod de Thaso insula verosimillimum est (vide Not. 145). — Quae hac de re disputavit Kruegerus (Comm. Crit. et Hist. ad Thuc. VIII, p. 334), non satis accurata mihi esse videntur.

52) Diodorus XIII, 72. 73. Saepius certe, quam referuntur, ejusmodi incursiones in Atticam Decelia inde factae sunt.

53) Diodorus XIII, 75. Strabo XIV, 2. Videtur autem Lysander auctor hujus rei Rhodiis fuisse, quum initio navarchiae Rhodum profectus esset (Xen. Hell. I, 5, 1). Quare fortasse et Aristides, a Wesselingio ad Diodorum laudatus, ante Lysandri navarchiam Rhodum non unam rempublicam fuisse tradit.

54) Aristoteli (apud Scholiasten ad Aristoph. Ran. 1580) dicitur etiamtunc Cleophon pacem impedivisse: neque dubito, quin hanc ipsam ob causam Plato Comicus Cleophontem fabulam — tempore pugnam Arginusarum sequenti, simul cum Aristophanis Ranis — docuerit. — Sed hoc jam a Meineckio Quaest. Scen. II, p. 18 animadversum video.

55) Diodor. XIII, 70. Plut. Lys. 5. Paus. 9, 32. Attigit eam rem Xenophon III, 4, 7.

56) Diodorus XIII, 104. Plut. Lys. 8. Polyaen. I, 45.

57) Diodorus XIII, 105. Plut. Lys. 9.

58) Diodorus XIII, 48. Obstat enim Thucydidis auctoritas, cujus, de octavo belli anno loquentis, haec sunt verba IV, 48: *καὶ ἡ στάσις πολλὴ γενομένη ἐτελεύτησεν ἐς τοῦτο, ὅσα γε κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε.* Mirum autem est, Thucydidem tantopere contendere, tunc seditionis finem factum esse. Si non nimis temerarium est, ego conjecerim, rumores de seditionibus denuo Corcyrae ortis eo tempore, in quo Diodorus

rem ponit, allatos fuisse, eosque his verbis a Thucydide refutari; Ephorum autem ex auctore, qui talia surripuisset, rem temere in historiam suam intulisse, quum notum sit, rumorem quamvis falsissimum, aliqua ex parte tanquam verum hominum animis inhaerescere. — Fortasse statim post bellum Peloponnesiacum finitum denuo motus Corcyrae exorti sunt: et propterea dixit Thucydides ὅσα γε κατὰ τὸν πόλεμον τόνδε.

59) Diodor. XIII, 73. Obstat enim Plutarchi silentium, qui, ubi multa talia refert vit. Alcib. 36, nullam hujus rei injecerit mentionem. Nominat quidem et Cornelius Nepos vit. Alcib. 7. Cumam, sed pro Notio, fatali alias Alcibiadi oppido.

60) Aeschines de Fals. Leg. p. 114 (Tauchn.). Sed longe aliae erant pacis conditiones (conferas Lysiam contra Agorat. p. 118). — Non recte autem Aeschinis locum ad tempus post pugnam Arginusarum refert Clintonius An. 406; quem jam correxit Kruegerus. Vellem, Hermannum (Lehrbuch gr. Statsalt. §. 167. Not. 16) non in eundem incidisse errorem.

61) Conferas v. g. Plutarchi Alcib. 27 et 28 cum Xen. Hell. I, 1, 5—23. Plut. c. 29 cum Xen. I, 2, 15—17. c. 30 cum I, 3, 4. 7. — De navibus quot ceperit Lysander in proelio Notiensi, non sibi constat Plutarchus: vit. Lys. c. 5 cum Xenophonte consentit; Alcib. 35 de multis navibus et hominibus captis loquitur, hoc loco negligentior. Quas autem ante proelium ad Aegos potamos commissum Lysander susceperit expeditiones, Plutarchus longe aliter atque Xenophon narrat. Id autem tenendum est, Plutarchum, multos alios scriptores consuluisse vide imprimis vit. Alcib. 32.

62) Ut e summa rerum copia pauca tantum afferam, Xenophon Hell. I, 1, 2 narrat, Dorieum in Hellespontum advenientem Athenienses cum viginti navibus adortos esse, cum universa classe Diodorus XIII, 45, cujus quidem de Abydena pugna narratio etsi prolixior cum Xenophontea convenit. Inter proelium Abydenum et Cyzicenum, Diodorus XIII, 49 tradit Mindarum multas ex Peloponneso naves arcessivisse — de quo nihil Xenophon — atque Mindaro in pugna Cyzicena fuisse octoginta naves, quum apud alterum sexaginta tantum habeat. Xen. I, 1, 22. Theramenes cum triginta navibus ad Chrysopolin relictus dicitur, alteri XIII, 64, cum quinquaginta: contraria utrique scriptori est ratio Thrasylleae, ad Ephesum classis numerandae. I, c. 2, 1. c. 1, 34. Diod. 13, 64. Diodorus XIII, 69 auctor est, populum Atticum, dum Alcibiades in urbe jam versaretur, duces, quos Alcibiades vellet, Adimantum et Thrasybulum creasse; cum eo consentit Nepos vit. Alcib. 7.

Aliter Xenophon. I, 4, 10 et 21. Causa, cur Alcibiades classem ad Notium reliquerit, Diodoro (13, 71) est, quod tunc Clazomenii per exsules pressi sint. Permulta alia, comparato utroque scriptore, invenias. Summa autem inter utrumque scriptorem exstat in temporibus rerum ordinandis discrepantia, quam facillime cognosci puto, si cum Xenophonteae chronologiae tabella, quam Haackium secuti, Excursu I. exhibuimus hunc Diodoreae chronologiae conspectum comparaveris:

Archonte Theopompo. Ol. XIII, 2. $\frac{411}{410}$. Diodor. 13, 39–42. — Pugna ad Elaeunta commissa. — Mindarus classem ex Euboea arcessi jubet. *Περὶ δὲ τὸν αὐτὸν χρόνον* Alcibiades Samum redit, inde Halicarnassum proficiscitur et rursus Samum attingit.

Archonte Glaucippo. Ol. XCII, 3. $\frac{410}{409}$. Diod. 13, 45—53. Proelium ad Dardaneum. Moles inter Euboeam et Boeotiam exstructae: ad quam rem impediendam missus Theramenes — (Seditio Corcyrae orta). — [Haec omnia ad superiorem annum referenda.] *χειμῶνος λήγοντος* [Februario exeunte 410 a. Chr. Haack. p. 9.] Mindarus naves colligit. Pugna ad Cyzicum. Lacedaemonii pacem ab Atheniensibus petunt. [Haec gesta mensibus Martio et Aprili 410.]

Archonte Diocle. Ol. XCII, 4. $\frac{409}{408}$. Diodor. 13, 64—67. Thrasylli adversus Ephesum expeditio. Chrysopolis communita. Pylos a Lacedaemoniis capta. [Omnia superiori anno adscribenda.] Peloponnesii, Nisaea recuperata, funduntur ab Atheniensibus. Lacedaemonii Cratesippidam classi praeficiunt. [Hoc fortasse recte.] Pugna ad Chalcedona commissa. Athenienses occupant Byzantium. [Haec revera annum, in quo posita sunt, explent.]

Archonte Euctemone. Ol. XCIII, 1. $\frac{408}{407}$. Diod. 13, 68—75. Alcibiades Athenas revertitur, deinde [Septembri mense] Andrum aggreditur, postea Con et Rhodum. — Lysander Spartanorum navarchus, cum Cyro societatem init. Pugna ad Notium [circiter mense Martio 407] Thrasybulus Thasum et Abdera occupat. Alcibiadi imperium abrogatur: decem creantur praetores [aestate media 407] Agidis adversus Athenas expeditio. Rhoedi Synoecismus.

Archonte Antigene. Ol. XCIII, 2. $\frac{407}{406}$. Diod. 13, 77—79. Callicratidas, Spartanorum navarchus [inde ab Octobr. 407], Delphinium occupat [quam rem Xenophon Ly-

sandro tribuit, ita ut accidisse videatur Aprili mense], et Cononem in Lesbo insula obsidet [vere 406].

Archonte Callia. Ol. XCIII, 3. $\frac{406}{405}$. Diod. 13, 97—103. Athenienses maximam classem parant, qua Conon obsidione liberetur. Pugna ad Arginusas Atheniensium praetores capitis damnantur (ea optime conveniunt cum Xenophonte).

Archonte Alexia. Ol. XCIII, 4. $\frac{405}{404}$. Diod. 13, 104—107. Pugna ad Aegos potamos: Athenae deditae.

Is imprimis talium errorum foro est, quod Diodorus duas diversissimas chronologias simul sequitur, Atticam — quae plerumque cum Olympiadeam numeratione convenit — et Romanam; quin etiam videtur XIII, 77 (Olymp. 93, 2) putasse, initium Laconicae navarchiae et Attici anni competere. — Vide sis etiam Excursum II.

[63]) Justinus V, 4 — 7. Id imprimis ei crimini dandum est, quod nihil narrat de decem praetoribus neque de pugna ad Arginusas commissa. Huc pertinent hi loci Cornelii Nepotis: vit. Lys. 1 — 3. Alcib. 5 — 8. Thrasyb. 1. Conon. 1, quo in loco Conon. pugnae ad Aegos potamos committendae interfuisse negatur.

[64]) Creuzer. Praef. ad editionem Ephori fragmentorum, quam curavit Marxius, p. IX. Wichers Theop. fragm. p. 53. Heeren Comment. de fontibus et auctoritate Justini.

[65]) Frontinus et qui eum non raro exscripsisse videtur Polyaenus de postremis belli Peloponnesiaci annis permulta memoriae prodiderunt. Ad pugnam Cyzicenam pertinent Front. II, 5, 44, Polyaen. I, 40, 9 et fortasse etiam Pol. I, 48, 1; ad Cyzici post pugnam deditionem (Xen. 1, 1, 19) Front. 3, 9, 6. — Ad id, quod narrat Xen. 1, 2, 16, referendus videtur locus Front. II, 7, 6 sed artificium, quod hic exponitur, Eteonici est (Xen. 1, 6, 37). — Byzantii per Alcibiadem expugnatio narratur a Front. III, 11, 3, cum quo consentit Plutarchus (vit. Alcib. 31) nihil ejusmodi referente Xenophonte: quod a Frontino Alcibiadi assignatur stratagema, a Polyaeno I, 48. Thrasyllo tribuitur. — Quae autem Front. III, 12, 1 et Polyaen. I, 40, 3 in lucem proferuntur, obscura sunt; quo enim tempore, dum Athenae a Lacedaemoniis obsidebantur Alcibiades in urbe erat? fortasse res referenda est ad id tempus, quum, Spartanis Deceliam tenentibus Alcibiades mysteria Eleusina duceret (Plut. Alc. 34). — De Conone adversus Callicratidam pugnante nonnulla exhibet Polyaen. I, 48, 2, 4; item de Eteonico Cononem fallente I, 44, — de Lysandro, in Milesios saeviente I, 45, 1, — de pugna ad Aegos potamos

commissa nonnulla memoriae prodidit Front. II, 1, 18: cujus I, 5, 7 de Lysandro in portu Atheniensium obsesso narratio quorsum pertineat, non video. — Idem I, 3, 19 narrat, Athenienses, quum Deceliam Lacedaemonii communissent, missa classe, quae Peloponnesum infestaret, id effecisse, ut exercitus Lacedaemoniorum, qui erat Deceliae, revocaretur: quae quidem narratio bellum quod dicitur Decelicum spectare videtur, sed referenda est ad primos belli Peloponnesiaci annos, quum nondum de Decelia communienda cogitaretur. Polyaenus exhibet I, 45, 4 narrationem de Lysandro in Thasios saeviente. Videtur autem Thasus insula post pugnam ad Aegos potamos occupata esse a Lacedaemoniis duce Eteonico. Xen. II, 2, 5: sed Lysander crudelem in modum contra eos saeviise post Athenas captas: quo quidem tempore Thraciam versus profectus esse traditur Plut. Lys. 16.

66) Xenoph. Hell. I, 7: Mirum sane est, scriptorem praetorum damnationem tam accurate exposuisse: cum amore quodam et voluptate versatur in enarrando eo judicio, quod summo dedecori fuerit Atheniensibus, patriae odio quemadmodum puto, inductus: jam propter id ipsum non assentiar Niebuhrio, qui majorem patriae caritatem in prioribus inesse arbitretur.

67) Quamvis plurima molitus esset Clisthenes, quibus augeretur democratia, multa tamen etiamtunc deerant, quae posteriore tempore eam ad summum fastigium promoverunt: nondum institutus erat ὁ μισϑὸς ἐκκλησιάστικὸς et ἡλιαστικὸς, validissimum pauperum ad rempublicam capessendam incitamentum: et Aristides demum pertulit, ut omnibus Atheniensibus honorum aditus pateret. Quare rempublicam, quam constituit Clisthenes, Plutarchus (Per. 3) dixit, πολιτείαν ἄριστα κεκραμένην πρὸς σωτηρίαν καὶ ὁμονοίαν; quin vocatur etiam ἀριστοκρατία. Plut. Cim. 15 et Isocr. Areop. 8, qui idem significat his verbis: οἱ γὰρ κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον τὴν πόλιν διοικοῦντες, κατεστήσαντο πολιτείαν, οὐκ ὀνόματι τῷ κοινοτάτῳ καὶ πρᾳοτάτῳ προςαγορευομένην. Sed error gravissimus inest in Aeliani V, 13 loco: Οἱ Ἀϑηναῖοι ἀριστοκρατείᾳ δὲ ἐχρήσαντο μέχρι τῶν τετρακοσίων.

68) In rebus novandis jam praeiverat Clisthenes, mutata tribuum divisione. Maxima autem vitae commutatio facta sit necesse est, postquam Themistocles Athenienses a terra quasi deduxit in mare (Plut. Them. 19) qua re magnopere democratiam augeri, veteres inter se consentiunt. Multa praeterea contra Lacedaemonios molitus est Themistocles (ib. c. 20). Et quae hic inchoavit, absolvisse quodammodo Periclem notum est.

69) Thucyd. II, 65 et Ullrich Quaest. Arist. Spec. I. c. 4.

70) Auctor est Thucydides VIII, 6, Alcibiadis familiam propter proxeniam, quam cum Lacedaemoniis coluisset, *Alcibiadis* nomen, quod Laconicae esset originis usurpasse. Eo modo etiam nomina, qualia Miltiades, Leon, Archeptolemus, multa alia, in Atticam migrasse videntur, unde colligere licet multas Athenis familias, Spartanis proxenia conjunctas fuisse. — Plerumque nominibus ipsis ea, quam tota familia sequatur, agendi ratio significatur. Sic Cimon, Spartanis amicissimus et fortasse Eleorum et Thessalorum proxenus, filios suos appellavit Lacedaemonium, Eleum et Thessalum: Periclis autem filius Paralus a patre sic nominatus est, quia egregio libertatis et democratiae studio *οἱ Πάραλοι* excellebant. (Thucyd. VIII, 73.)

71) Horum partium viri soli ea educatione utebantur, ut artes militares docerentur. Raro ullum ex iis, qui alteram factionem sequebantur, exercitibus praepositum esse invenies, si discesseris a Pericle et Alcibiade, qui quidem ab illis defecerant. Quare non saepe a vero aberrabis, si ubicunque praetores Athenienses occurrunt, eos aristocraticae factionis fuisse putaveris.

72) Thucyd. I, 107.

73) Plut. Cim. 17.

74) Mera enim commenta erant, quae Cleon aliique ejusmodi demagogi de oligarchicis conjurationibus jactitabant. Thucyd. VIII, 73 de Paralis: *καὶ ἀεὶ δήποτε ὀλιγαρχίᾳ, καὶ μὴ παρούσῃ, ἐπικειμένους.*

75) Thucyd. VIII, 1.

76) Thucyd. VIII, 1, 4. Constituti sunt *οἱ πρόβουλοι* (confer. Arist. Lys. 387, Krueger. ad Thucyd. libr. VIII, p. 273) a quibus distinguendi sunt *οἱ ξυγγραφεῖς*. Thucyd. 8, 67; quamvis plurimi utroque munere functi esse videantur: id quod verosimile de Hagnone, Theramenis patre, de quo haec Lysias in Eratosth. p. 107: *καὶ ὁ μὲν πατὴρ αὐτοῦ τῶν προβούλων ὤν, ταῦτα (τὴν ἐπὶ τῶν τετρακοσίων πολιτείαν ὑμᾶς ἑλέσθαι) ἔπραττεν.* — Diodorus autem XII, 75 non ita multo post pacem Nicianam de iisdem probulis loqui videtur: eumque vituperat Hermannus (Lehrb. gr. Staatsalt. §. 166. N. 11.) quod eos constitutos tradiderit ante decimum annum quam revera fuerint. Sed conjicere ausim, Diodorum duas res diversissimas confudisse. Nam post Niceanam pacem ab Atheniensibus nova tributa instituta atque aucta sunt: quibus exigendis Alcibiades cum novem aliis praefuerat (conf. Andoc. in Alcib. p. 116). Ad hos magistratus retulerim Diodori verba: *Ἀθηναῖοι διὰ ψηφίσματος ἔδωκαν δέκα ἀνδράσιν ἐξουσίαν*

ἔχειν βουλεύεσθαι περὶ τῶν τῇ πόλει συμφερόντων; quare sociorum suscipionem motam esse dicit: id quod vix factum esset, si quid Athenienses in sua ipsorum republica mutassent.

77) Confer. Not. 19.

78) Androcles jam notatur ab Aristophane in Ranis vs. 1187, ad quem locum haec exhibet Scholiastes: Ἀνδροκλέα δὲ Κρατῖνος Σεριφίοις φησι δοῦλον καὶ πτῶχον, ἐν δὲ Ὥροις ἡταιρηκότα ἄρα τὸν αὐτόν· Τελεκλείδης δὲ καὶ Ἐκφαντίδης βαλλαντιοτόμον. — Fuit acerrimus Alcibiades adversarius: quapropter et summam operam navavit in exquirendis Hermocopidis (Andoc. de Myst. §. 27.) et postea per Alcibiadis socios occisus est. Thucyd. VIII, 65. Vide Plut. Alc. 19.

79) Thucyd. II, 65.

80) Hermocopidarum causa quin eum oligarchorum conatibus cohaeserit, non dubito implicitos ei videmus eos imprimis, qui postea in triginta et quadringentorum virorum collegio erant, ut Critiam (Andoc. Myst. §. 47.) et Antiphontem (ib. §. 15.).

81) Iis, e quadringentis qui rhetoricis et sophisticis artibus operam dederant, annumerandi sunt etiam Andro (Plat. Gorg. p. 487, Prot. p. 315) et Aristoteles Diog. Laert. V, p. 323. — Plato Parm. p. 127 *d*. 137 *c*.

82) Pisander quanta eum industria quadringentorum molimina adjuverit, notum est. Charicles postea inter triginta viros proximum post Critiam tenuit locum, quumque qui in eorum numero erant, etiam inter quadringentos fuerint, ei inter hos quoque locus assignandus est. Quam autem agendi rationem uterque prioribus temporibus secutus sit, optime depingit Andocides (de Myst. §. 36.) his verbis: Πείσανδρος καὶ Χαρικλῆς, ὄντες μὲν τῶν ζητωτῶν, δοκοῦντες δ' ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ (quum de Hermocopidis ageretur) εὐνούστατοι εἶναι τῷ δήμῳ, ἔλεγον ὡς εἴη τὰ ἔργα τὰ γεγενημένα οὐκ ὀλίγων ἀνδρῶν ἀλλ' ἐπὶ τῇ τοῦ δήμου καταλύσει, καὶ χρῆναι ἔτι ζητεῖν καὶ μὴ παύσασθαι. De Pisandro conferas praeterea Arist. Pac. 389, Aves 1556, Lys. 490 et Meineckium Quaest. Scen. II. p. 20. — Iis similis fuit Phrynichus, qui, humili loco ortus, populo antea adulaverat, postea cum oligarchis fecerat (vid. Lysiam pro Polystr. p. 188), et fortasse huc pertinet etiam Laespodias, quem cavillatur Aristophanes Aves 1569. — De ejusmodi hominibus egregius est locus apud Aeschinem in Ctesiph. p. 240: πρότερον τοιαύτας φύσεις ἤνεγκε τὸ δημόσιον, αἳ ῥᾳδίως οὕτω κατέλυσαν τὸν δῆμον· ἔχαιρε γὰρ κολακευόμενος ἔπειτ' αὐτὸν οὐχ

οὓς ἐφοβεῖτο, ἀλλ' οἷς ἑαυτὸν ἐνεχείρισε, κατέλυσαν· ἔνιοι δὲ καὶ αὐτοὶ τῶν τριάκοντα ἀγένοντο κ. τ. λ.

[83]) Quos ex quadringentis viris aristocraticam olim factionem secutos esse arbitror, hi fere sunt: *Archeptolemus*, siquidem idem est, qui Aristoph. Equit. 327 Hippodami filius nominatus, pace ab Atheniensibus recusata, summa indignatione commotus esse, et in eadem fabula vs. 794: Atheniensibus pacem quasi obtulisse dicitur; *Melesias* procul dubio Thucydidis oratoris et Aristocraticorum olim principis filius: primo tempore ejusdem certe cujus pater fuerat, factionis; *Onomacles* qui una eum Archeptolemo capitis damnatus erat, sed tunc supplicium effugit (vide ψηφ. Pseudo-Plutarch. vit. Antiph.) et postea inter triginta viros non infimum tenuit locum (vid. Not. 285). Inter quadringentos fuerunt praeter eos etiam Aristophon, Aristarchus, Melanthius, Polystratus, qui quidem quas antea partes secuti fuerint, non liquet. De Aristocrate vide p. 30 — Sed fuere multi ex aristocraticis, qui oligarchorum conatibus obviam irent, ut Leon et Diomedon. Thucyd. VIII, 73: quos non ignobili loco oriundos fuisse, propter id mihi persuasum habeo, quod uterque praetoris munere fungebatur. Thucyd. VIII, 19. Leon etiam inter eos nominatur, qui in Niciae pacem juvaverunt. Thucyd. V, 19. — Neque praeter Melesiam, qui a majorum virtute degeneraverat (vide Platon. Menon.), ullum e posteris eorum, qui olim aristocratiae principes fuerant, inter quadringentos commemoratum invenies, non Niceratum, Niciae filium, neque quemquam e Miltiadis gente.

[84]) Thucyd. VIII, 65: λόγος τε ἐκ τοῦ φανεροῦ προείργαστο αὐτοῖς, ὡς οὔτε μισθοφορητέον εἴη ἄλλους ἢ τοὺς στρατευομένους, οὔτε μεθεκτέον τῶν πραγμάτων πλείοσιν ἢ πεντακισχιλίοις καὶ τούτοις, οἳ ἂν μάλιστα τοῖς τε χρήμασι καὶ τοῖς σώμασιν ὠφελεῖν οἷοί τε ὦσιν. — Quadringenti autem viri in pristini Senatus locum successerunt (c. 67); ἡ βουλὴ ἡ ἀπὸ κυάμου dissoluta est.

[85]) Thucyd. VIII, 72. Legati dixerunt: πεντακισχίλιοί τε ὄνυ εἶεν καὶ οὐ τετρακόσιοι μόνον οἱ πράσσοντες· καίτοι οὐπώποτε Ἀθηναίους διὰ τὰς στρατείας καὶ τὴν ὑπερόριον ἀσχολίαν ἐς οὐδὲν πρᾶγμα οὕτω μέγα ἐλθεῖν βουλεύσοντας, ἐν ᾧ πεντακισχιλίους ξυνελθεῖν.

[86]) Thucyd VIII, 86: Ἀλκιβιάδης δὲ, ἀποκρινάμενος αὐτοῖς (quadringentorum legatis) ἀπέπεμπεν, ὅτε τοὺς μὲν πεντακισχιλίους οὐ κωλύοι ἄρχειν, τοὺς μέντοι τετρακοσίους ἐκέλευεν ἀπαλλάσσειν αὐτοὺς καὶ καθιστάναι τὴν βουλὴν, ὥσπερ καὶ πρότερον, τοὺς πεντακοσίους· εἰ δὲ

ἐς εὐτελείαν τι ξυντέτμηται, ὥστε τοὺς στρατευομένου μᾶλλον ἔχειν τροφὴν, πάνυ ἐπαινεῖν.

[87]) Thucyd. VIII, 89: τοὺς πεντακισχιλίους ἔργῳ καὶ μὴ ὀνόματι χρῆναι ἀποδεικνύναι, καὶ τὴν πολιτείαν ἰσαιτέρον καθιστάναι.

[88]) Thucyd. VIII, 92: ἦν δὲ πρὸς τὸν ὄχλον ἡ παράκλησις, ὡς χρὴ ὅστις τοὺς πεντακισχιλίους βούλεται ἄρχειν, ἀντὶ τῶν τετρακοσίων, ἰέναι ἐπὶ τὸ ἔργον. ἐπεκρύπτοντο γὰρ ὅμως ἔτι τῶν πεντακισχιλίων τῷ ὀνόματι, μὴ ἄντικρυς δῆμον ὅστις βούλεται ἄρχειν ὀνομάζειν. φοβούμενοι, μὴ τῷ ἄντι ὦσι, καὶ πρός τινα εἰπών τις τὶ ἀγνοίᾳ σφαλῇ. καὶ οἱ τετρακόσιοι διὰ τοῦτο οὐκ ἤθελον τοὺς πεντακισχιλίους οὔτε εἶναι, τὸ μὲν καταστῆσαι μετόχους τοσούτους, ἄντικρυς ἂν δῆμον ἡγούμενοι, τὸ δ' αὖ ἀφανὲς φόβον ἐς ἀλλήλους παρέξειν.

[89]) Thucyd. VIII, 93.

[90]) Hanc rem, quam nusquam a Thucydide commemorari miror, solus testatur Lysias in ea oratione, qua Polystrati causam defendit, cujus haec verba huc pertinent (p. 188 Tauchn.): πῶς δ' ἂν γένοιτο δημονικώτερος, ἢ ὅστις ὑμῶν ψηφισαμένων πεντακισχιλίοις παραδοῦναι τὰ πράγματα, καταλογεὺς ὤν, ἐννεακισχιλίους κατέλεξεν — οὗτος δὲ οὔτε ὀμόσαι ἤθελεν, οὔτε καταλέγειν, ἀλλ' αὐτὸν ἠνάγκαζον — ἐπεὶ δὲ ἠναγκάσθη καὶ ὤμοσε τὸν ὂν ὅρκον, ὀκτὼ ἡμέρας εἰσελθὼν εἰς τὸ βουλευτήριον, ἐξέπλει εἰς Ἐρετρίαν, καὶ ἐδόκει ἐκεῖ τὴν ψυχὴν οὐ πονηρὸς εἶναι ἐν ταῖς ναυμαχίαις καὶ τετρωμένος δεῦρ' ἦλθε, καὶ ἤδη μετεπεπτώκει τὰ πράγματα. Fuit igitur Polystratus particeps infelicissimae versus Eretriam expeditionis, qua Athenienses frustra Euboeam a defectione prohibere conati sunt. Thucyd. VIII, 95. Clade ad Eretriam nuntiata, statim Athenienses de imperio decedere quadringentos coëgerunt, ut videtur, Hecatombaeone Archontis Theompi, Julio mense 411 a. Chr. Ol. XIII, 2. — Polystrati ejusdem filius esse videtur Lycius. Xen. Anab. III, 3, qui quum fortasse sub triginta viris eques fuisset, expeditionis Cyreae particeps erat. Vide Not. 322.

[91]) Thucyd. VIII, 94.

[92]) Thucyd. VIII, 97: καὶ οὐχ ἥκιστα δὴ τὸν πρῶτον χρόνον ἐπί γε ἐμοῦ Ἀθηναῖοι φαίνονται εὐπολιτεύσαντες μετρία γὰρ ἥ τε ἐς τοὺς ὀλίγους καὶ τοὺς πολλοὺς ξύγκρασις ἐγένετο, καὶ ἐκ πονηρῶν τῶν πραγμάτων γενομένων τοῦτο πρῶτον ἀνήνεγκε τὴν πόλιν. Conferas Plat. Legg. VI, p. 753. Aristot. Polit. III, 5. Polyb. VI, 3.

Krueger. Comm. p. 254 N. 38. Qui autem reipublicae participes tunc manebant, erant *οἱ ἐκ καταλόγου ὁπλῖται*, quibus opponuntur *οἱ θῆτες* (Thucyd. 6, 43), sive *ὁ δῆμος ψιλὸς* (Arist. Pol. 6, 4). Quare non dubito, quin cum Kruegero l. l. legendum sit apud Diodorum 13, 38: *Ἀθηναῖοι τὴν ἐκ τῶν τετρακοσίων ὀλιγαρχίαν κατέλυσαν καὶ τὸ σύστημα τῆς πολιτείας ἐκ τῶν ὁπλιτῶν* (pro vulg. *πολιτῶν*) *ἐποιήσαντο.* — Obscurissimus est locus Aeliani V. H. V, 13: (*οἱ Ἀθηναῖοι*) *ἐχρήσαντο ἀριστοκρατίᾳ μέχρι τῶν τετρακοσίων· Εἶτα ὕστερον δέκα τῶν πολιτῶν καθ' ἕκαστον ἔτος ἦρχον τῆς πόλεως· τελευταῖον δὲ ἐγένετο ἀναρχία περὶ τὴν τῶν Τριάκοντα κατάστασιν.* Quosnam significare potuit decem illis viris? fortasse de probulis aut de decem post triginta dominantibus cogitavit, nulla temporum habita ratione. Fortasse error propagatus est ex Lysiae loco p. 22: *ἐγὼ οὔτε ἐπὶ τῶν τετρακοσίων ἐγενόμην — οὐ τοίνυν ἐπειδὴ οἱ δέκα κατέστησαν κ. τ. λ.*

93) Thucyd. VIII, 97: (*ἐψηφίσαντο*) *μισθὸν μηδένα φέρειν μηδεμιᾷ ἀρχῇ· εἰ δὲ μή, ἀπάρατον ἐποιήσαντο.* Etsi his verbis non aperte significatur, tamen per se verosimile est, *τὸν μισθὸν ἐκκλησιαστικὸν καὶ ἡλιαστικὸν* tum sublatum fuisse. Illo tempore certe inter omnes conveniebat, oportere publicas impensas diminui; jamque antea de ea re cogitaverat populus Thucyd. VIII, 1. 4. Alcibiades postea omnes mercedes, excepta militari, antiquandas censuerat. ib. c. 86.

94) Thucyd. VIII, 97. Cf. Hermann. (Lehrb. gr. Alt. §. 131.). Dubius sum, utrum hoc tempore an post dominationem quinque millium dissolutam Nicomacho negotium datum sit, ut Solonis leges exscriberet Lys. p. 249; ad posterius tempus magis inclino. Dicit enim Lysias, Nicomachum primo legibus exscribendis sex annos absumsisse, neque prius munere abdicasse, quum summis calamitatibus affectae essent Athenae; igitur in munere mansit usque ad ver 404 inde a vere 410: in quo tempore novam reipublicae commutationem colloco. — Pergit autem Lysias: *ὁποίαν καὶ νῦν τὴν ἀρχὴν κατεστήσατο, ὅστις πρῶτον μὲν τέτταρα ἔτη ἀνέγραψεν;* unde videre licet, eum etiam post triginta viros dissolutos eidem muneri praefectum fuisse; tum simul cum eo Tisamenus Mechanionis filius, leges conscribendas curavit. vide Lys. p. 256. Andoc. de Myst. §. 78. — Dies igitur dicta est Nicomacho post quartum annum restitutae democratiae. Longe aliam sententiam sequitur Bremius in Argum. Orat. in Nicom.

95) Thucyd. VIII, 97. At haesitationem nonnullam id

mihi movet, quod Xenophon Hell. I, 4, 10 dicit, Athenienses Alcibiadem in patriam revertentem (408 a. Chr.) creasse *φεύγοντα*. An eo vocabulo significabatur, quumque, antea in exsilium ejectus nondum in patriam rediisset. Id quidem verosimile est; sed aliud conjicere audeo. Quid si sumimus, in reipublicae commutatione quam non ita multo post accidisse putamus, quaecunque *οἱ πεντακισχίλιοι* decreverant, antiquata fuisse, Alcibiadem autem propter militum favorem cum imperio mansisse, sed nondum solemniter in patriam revocatum. — Hanc quamvis audacissimam conjecturam id aliqua ex parte confirmare videtur, quod aestate 410 a. Chr. Thrasyllus quem Syracusanorum navibus vehentem ceperat, *Ἀλκιβιάδην Ἀθηναῖον, Ἀλκιβιάδου ὄντα ἀνεψιὸν καὶ ξυμφυγάδα, κατέλευσε* (ea enim est antiqua scriptura) Xen. Hell. I, 2, 13. Nam demagogi, etsi non audebant Alcibiadi ipsi imperium abrogare, videntur omnem suam iram in propinquum ejus effudisse. — Fortasse ille Alcibiades idem est, qui Andoc. de Myst. §. 65. *ὁ Δηγούσιος* nominatur et Hermocopidarum causae implicitus fuisse dicitur. — Post quadringentos expulsos etiam Andocides in patriam restitutus est, auctore Menippo (Andoc. de Redit. §. 23.): non ita multo post Athenienses eum rursus expulerunt, *ἑτέρῳ χάριν φέροντες*.

[96]) Unus ex iis, qui Spartam missi erant, Phrynichus jam antea occisus erat Thucyd. 8, 92; postea quum judicium de caede ejus haberetur, Phrynichus proditionis damnatus est (Plut. Alcib. 35, cum quo conferas ψηφ. vit. Antiph. fin.: *ταῦτα δὲ γράψαι ἐν στήλῃ χαλκῇ, ἧπερ ἂν καὶ τὰ ψηφίσματα τὰ περὶ Φρυνίχου*). Accusator ejus exstitit Critias cf. Lycurgum in Leocrat. §. 113. p. 164. Steph. Sed contra Lycurgi auctoritatem Kruegerus (p. 384 Not. 97) dubitationem movet, et propterea, quod paulo post (§. 115.) Aristarchum et Alexidem Phrynichi causam defendisse dicat, quos quidem dominatu paucorum sublato evasisse testetur Thucydides. At Phrynichus nondum paucorum dominatu sublato occisus est: quin etiam a quadringentis percussores ejus in vincula conjecti sunt quare Lycurgus Aristarchum et Alexidem eum defendisse dicere potuit. — Praeterea damnati sunt Archeptolemus et Antiphon: poenam effugit, qui simul cum iis accusatus erat Onomacles. — Pisandri deinde bona publicata sunt. Lys. Purg. Sacril. p. 64 Tauchn. incertum, num ipse supplicium effugerit. Sed fortasse ad hunc Pisandrum ὁ *μετὰ Πεισάνδρου Κατάλογος*, quem sub triginta virorum dominatu constitutum invenimus Isocrat. Euth. 3. Call. 8., referendus est. Nam certe non eam

ob causam, quod non fuerit inter ipsos triginta viros, eum ante belli finem mortuum esse, putarim: id quod voluit Kruegerus p. 387. Not. 115.

97) Voluit hoc Wachsmuthius (Hell. Alterth. I, p. 285) quare cogitur rempublicam a Thucydide laudatam tanquam tristissimam depingere. — Boeckhius (Staatsh. I, p. 234.) brevi tempore quinque millium dominationem durasse. Hermannus autem (Lehrb. d. gr. Staatsalterth. §. 167. Not. 11.) vetus populi imperium restitutum arbitratur statim postquam Alcibiades Athenas reversus sit, praeeunte Feretio (Mém. de l'Acad. des Inscript. Tom. XLVII, p. 243.).

98) Etiam posteriore tempore in consuetudinem abiisse videtur gloriosa pugnae Cyzicenae commemoratio. Platon Menex. p. 243: μιᾷ μὲν ἡμέρᾳ πάσας τὰς τῶν πολεμίων ἑλόντες ναῦς, quae verba rectissime ad illam pugnam referri possunt.

99) Invenimus decretum apud Andocidem de Myster. §. 96. 98. Inscriptum ei est: Ἔδοξε τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ, Αἰαντὶς ἐπρυτάνευε, Κλεογένης ἐγραμμάτευε; cumque titulus quidam (in Boeckh. C. Inscript. No. 147.) eandem inscriptionem prae se ferret: ἐπὶ Γλαυκίππου ἄρχοντος καὶ ἐπὶ τῆς βουλῆς ῇς Κλειγένης πρῶτος ἐγραμμάτευε, — ἐπὶ τῆς Αἰαντίδος πρώτης πρυτανευούσης, jam Barthelemius (Mém. de l'Acad. des Inscr. Tom. XLVIII.) docuit, decretum illud ad eundem archontem referendum esse. Consentiunt cum eo Boeckhius (Staatsh. II, p. 164) et Meierus de Bon. Damn. p. 6. De Demophanti conferas praeterea Demosth. Lept. p. 505 et Lycurg. Leocr. c. 31. — Schneiderus Demophant. legem ad tempus post tyrannos expulsos refert. (ad Xen. Hell. II, 4, 43).

100) Lysias de Affect. Tyr. p. 226. Meierus de Bon. Damn. p. 177: Ἐπιγένην censet mutandum in Ἐπικράτην, ita ut idem sit, qui secundum Lys. Orat. XXVII. ad multa facinora populum eo praetextu incitabat, quod alioquin ἡ μισθοφορὰ deficeret; puto quidem, in hoc tempus Epicratis molimina incidere: sed cur non sumamus eodem tempore et Epicratem et Epigenem in republica gerenda versatos esse? Epigenem quemdam decreti alicujus auctorem anno 409 a. Chr. exstitisse videmus ex Boeckh. C. Inscr. No. 160. §. 1. (κατὰ τὸ ψήφισμα τοῦ δήμου, ὁ Ἐπιγένης εἶπεν — ἐπὶ Διοκλέους ἄρχοντος). Idem fortasse est Epigenes, qui pater Niciae vocatur in Inscriptione quadam (apud Boeckh. No. 213.) pertinente ad tempus triginta viros dissolutos excipiens; praeterea exstabat Lysiae περὶ τῆς Ἐπιγένους διαθήκης oratio, vide Suid. (v. Ἀνάγορος). Fortasse autem rectius quis conje-

cerit, *Δημοφάνην* apud Lysiam p. 226 mutandum in *Δημόφαντον*, psephismatis, de quo supra diximus, auctorem: praesertim quum nomen antea *Διοφάνην* scriptum sit; atque Bekkerus demum scripturam *Δημοφάνην* revocaverit e libris manuscriptis. — Clisthenes non video cur non idem sit, atque *is*, quem propter timiditatem imprimis cavillatur Aristophanes, quum in prioribus fabulis, tum in Ranis (No. 48. 57. 423.). Fortasse consuetudo quaedam Clistheni intercesserat cum Androcle (Vesp. 1187).

[101]) Certe *τὸ θεωρικὸν*, quod per quadringentos et quinque millia antiquatum fuisse verosimillimum est, populo rursus distributum esse sub Archonte Glaucippo, videre licet ex C. Inscr. No. 147. — Per se par est, ceteras mercedes tunc esse restauratas: et fortasse in hoc tempus incidunt Epicratis machinationes (vide Not. 100).

[102]) Non dubito, quin cum Wachsmuthio I, 2, p. 248 idem Critias putandus sit propter Hermas mutilatos accusatus fuisse Andoc. Myst. §. 47.; neque video, cur id negaret Bachius. Quod Wachsmuthius arbitratur, Critiam jam tunc in Thessaliam profectum esse, id in medio reliquerim. Inter quadringentos fuisse Critiam testatur Demosthenes in Theocr. p. 1343 (idem apparet e Lysia in Agorat. p. 134); inter eosdem fuit pater ejus Callaeschrus, quem quidem sensim populo se faciliorem praebuisse, auctor est Lysias (in Eratosth. p. 108 Tauchn.). Idem fecisse puto Critiam, eamque eam ob causam a populo veniam impetrasse, praesertim quum decreti in mortuum Phrynichum auctor exstitisset Lyc. in Leocr. §. 112. (Not. 96): Qua in re exemplum ejus secuti sunt Andron, qui, etsi ipse inter quadringentos, Archeptolemum et Antiphontem accusavit (vide ψηφ. in vit. Antiph.) et Theramenes, qui Andronem ad id impulisse videtur (Lys. p. 108). Testis est praeterea Lysias (pro Polystr. p. 189) multos ex quadringentis poenam effugisse. — Id quidem sententiae nostrae obstare videtur, quod postea ipse Critias eam agendi rationem Therameni objecerit, neque hic quidquam ad id responderit. Xen. Hell. II, 3, 30. At Critias multo facilius alteri talia objectare poterat. — Theramenes enim in quadringentorum dominatu et constituendo et dissolvendo maxime conspicuus fuerat: Critias autem neque inter quadringentos tantum valuerat, neque postea ex restituenda democratia tantam assecutus erat gloriam. — Neque id majus est, quod in Pisandrum, quem una cum Callaeschro leniorem se praebuisse dicit Lysias, severius a populo animadversum est (Lys. p. 64): nam necesse est, populum multo acriore ira effer-

buisse in Pisandrum, qui tam nefarie eum fefellerat, quam in Callaeschrum, qui fortasse quae de republica sentiret, jam pridem ostenderat. — Critias autem, stante etiamtunc τῶν πενταχισχιλίων dominatu, id quoque effecit, ut Alcibiades in patriam restitueretur; quam rem testatur Plutarchus (vit. Alc. 33) cujus, de tempore quo Alcibiades Athenas revertebatur, loquentis, haec verba sunt: τὸ μὲν ψήφισμα τῆς καθόδου πρότερον ἐκεκύρωτο, Κριτίου τοῦ Καλλαισχρου γράψαντος, ὡς αὐτὸς ἐν ταῖς ἐλεγείαις ἐπεποίησεν, ὑπομιμνήσκων τὸν Ἀλκιβιάδην τῆς χάριτος ἐν τούτοις·

Γνώμη δ' ἥ σε κατήγαγ', ἐγὼ ταύτην ἐν ἅπασιν
Εἶπον καὶ γράψας, τοὔργον ἔδρασα τόδε κ. τ. λ.

Elegia eo animo scripta esse videtur, ut Critias ipse, adversa fortuna usus, Alcibiadi felicitate florenti beneficium suum imputaret et quasi objiceret. Optime igitur omnia congruent, si sumitur, Critiam inde ab 410, quum respublica mutata esset, in exsilio vixisse et elegiam ad Alcibiadem scripsisse 408 a. Chr. quo hic in patriam revertens summis ornabatur honoribus: certe autem Critias anno 406 in Thessalia degebat. Xen. II, 3, 36. — Sed Cornelius Nepos (vit. Alc. 7) et Diodorus XIII, 38 suffragante Theramene Alcibiadem revocatum esse tradunt: quibus vellem Hinrichsium (De Crit. Ther. et Thrasyb. Not. 8) non majorem fidem habuisse, quam Plutarcho, ad testimonium certissimum provocanti: neque adjecisse, Critiam posteriore demum tempore inflorescere coepisse. — Kruegerus (p. 374 Not. 55) longe aliam ingressus est viam: statim post quadringentos sublatos Critiam solum vertisse putat: sed revocatum esse colligit ex Plut. Alcib. 33: ita ut decretum, cujus in elegia illa mentio fit, scitum sit 408 a. Chr. Sed obstat, quod anno 406, quum de decem praetoribus judicium haberetur, eum rursus ab Attica terra remotum esse videmus. Certe difficillimum est causam invenire, cur Critias inter annos 411 et 408 revocatus sit.

103) Aristot. Rhet. I, 15, 13. Non quidem negarim, altercationem illam referri posse, ad tempus post pugnam ad Aegos potamos, quum Cleophon oligarchum conatibus obviam iret Lys. in Nic. p. 251.

104) Cum Eratosthene erat inter Ephoros tunc constitutos (Lys. in Erat. p. 103): illo autem tempore populus nonnisi τοὺς ἀτίμους ἐπιτίμους reddiderat, non autem exsules revocaverat. Andoc. de Myst. §. 80. (vide Not. 252): quare potius putarim Critiam, quum vetus populi imperium restitueretur, infamia affectum vel etiam taedio rerum praesentium ductum solum ver-

tisse. Sed erat certe quodam tempore per populum exsilio multatus Xen. II, 3, 15: id retulerim ad Hermocopidarum causam.

[105]) Diodor. XIII, 47. 49.

[106]) Xen. Hell. I, 12, 22. Diodor. XIII, 50. A vero non abhorret, quod traditur a Diodoro (XIII, 64. 66.), Theramenes tempore inter pugnam Cyzicenam et Chalcedoniam *interjecto* expeditiones adversus Chalcedonios et Byzantinos suscepit. Pugnae Chalcedoniae eum interfuisse auctor est Diodorus XIII, 66.

[107]) Eodem modo ante quadringentos viros constitutos oligarchi socios sibi adjunxerunt demagogos et aristocraticae factionis viros. cf. p. 16.

[108]) Conon quidam nominatur inter eos, qui per Solonis Sisachthiam Eucrati sint. Plut. Sol. 15. Cononis familiam inter ditiores fuisse, testis est Lysias de Bon. Arist. p. 179: *quamvis non tantas reliquerit divitias, quantas homines exspectassent.*

[109]) Thucyd. VII, 31. Proximo anno alium eidem stationi praefectum esse videmus e Thucyd. VIII, 13. Sed si Diodoro XIII, 48 fides habenda, Conon rursus in eodem munere erat anno 411: de qua quidem re non minus quam de tota *illa* Diodori narratione dubito confer. Not. 58. Quod autem Conon *περὶ Πελοπόννησον στρατηγὸς* fuisse dicitur a Lysia (pro Bon. Aristoph. p. 173) fortasse ad posterius tempus rectius refertur. cf. Xen. Hell. IV, 8, 8.

[110]) Vide sis Isocratem Orat. ad Philipp. c. 25. Quin Nepos interfuisse eum pugnae negat. Id certum est eum primum inter Atheniensium praetores, Lysandri adventu animadverso, proelii signum dedisse Xen. II, 1, 28.

[111]) Id significare videtur Theopompus apud Athenaeum XII, p. 532 *b.*

[112]) Eadem sensit Thucydides, qui si cujus erat factionis, certe cum Nicia et optimatibus faciebat. conf. Not. 30.

[113]) Pacem et amicitiam inter Graecas civitates reconciliare studet Isocrates in Panegyrico, et in oratione ad Philippum. Conferas praeterea orationem de Pace, ubi mirum in modum cum iis, qui prioribus temporibus aristocraticas partes sequebantur, consentit.

[114]) Quae de rebus ante suam memoriam sentiat, ostendit Aeschines imprimis loco memorabilissimo, de Fals. Leg. p. 114 (Tauchn.).

[115]) Post triginta viros expulsos utrumque cum Conone fecisse, certum est: vide sis Lysiae pro bonis Aristophanis orationem. — Maximam autem meam admirationem commovit ar-

gumentum, quod Bremius (in orationibus Lysiae selectis p. 203) huic orationi praeposuit. Putat enim vir doctissimus, Aristophanem generum Nicophemi fuisse. At qui orationem habuit, ejus soror erat uxor filii Nicophemi §. 12.; apparet autem e §. 16. fuisse illius sororis maritum Aristophanem: ergo filius Nicophemi erat Aristophanes. — Bremius praeterea putat, utrumque per triginta viros occisum esse: sed addit: „nec obliviscendum, antequam Conon pugnam navalem ad Cnidum vicerit, Aristophanem non nisi praediolum possedisse Rhamnunte. Clarissime tota ostendit oratio, utrumque ipso tempore pugnae Cnidiae maxime in rebus gerendis versatum esse. — Nicophemus certe idem est, qui occurrit apud Xenophontem IV, 4, 8 (ubi olim *Νικόφηβος* scribebatur), coll. Lys. §. 35. — A Diodoro idem significari videtur, ubi *Νικόδημος* vocatur XIV, 81.

116) Strombichides et Calliades, quos Lysias *καλοὺς κἀγαθοὺς* appellat (in Nicom. p. 252), et Dionysodorus, quem cum iis fecisse tradit (in Agor. p. 120), iis, qui post pugnam ad Aegos potamos commissam res novas moliebantur, fortiter restitisse ab eodem Lysia narrantur. — Non dubito, quin unus idemque Strombichides sit, qui Thucyd. VIII, 15 filius Diotimi vocatur et praefectus classis dicitur (c. 62). Diotimus autem quidam occurrit, filius Strombichides Thuc. I, 45 una cum Lacedaemonio dux decem navium, quas Athenienses auxilio miserunt Corcyraeis: unde quis conjecerit, Diotimum adversarium Periclis fuisse, si comparaverit locum Plut. Per. 29: *ἀπέστειλε (ὁ Περικλῆς) δέκα ναῦς μόνας ἔχοντα Λακεδαιμόνιον τὸν Κίμωνος υἱόν, οἷον ἐφυβρίζων κ. τ. λ.* — Num autem Autocles (Xen. VI, 3, 2) nostri Strombichides filius fuerit, in medio reliquerim. — Calliades fortasse est filius Calliae, filii Calliadis. Thucyd. I, 61.

117) Id conjeceris e Lysia in Agor. p. 122.

118) Conferas Lysiae contra Poliarchum orationem init. Implicitus olim fuerat Eucrates Hermocopidarum causae. conf. Andoc. de Myst. §. 47. Quare fortasse oligarchi se eum in suas partes ducturos esse speraverant. Videmus autem ex eadem oratione (p. 166.), Niceratum, quum occideretur, filium parvulum reliquisse: quare non cum Boeckhio (Staatsh. II. p. 14) ad illius filium retulerim, quae Isocrates contr. Euth. c. 3. de Nicia quodam narrat, quem triginta virorum tempore fuisse jam adultum necesse est. — Et praeterea illam contra Euthynum orationem declamationem esse puto; quum vix aliud causae sine testibus actae exemplum inveniatur.

[119]) Conferas Socratem apud Aelianum V. H. II, 11. Sane et avaritia movebantur tyranni, ut optimatibus imprimis et locupletioribus insidiarentur.

[120]) Vide sis Aristoph. Ran. 679 ibique Schol. Aesch. de Fals. Leg. p. 114 (παρεγγραφεὶς αἰσχρῶς πολίτης). Ael. V. Hist. XII, 42 ne patrem quidem ejus notum esse dicit: Meineck. Quaest. Scen. II. p. 18.

[121]) Andoc. de Myst. §. 146. Aesch. F. Leg. p. 114.

[122]) Locus classicus de πώλαις est in Arist. Equit. 129 sqq. Ibi ὁ στυππειοπώλης est Eucrates, cf. vs. 254 (ejus fortasse filius Diodotus, Thucyd. III, 41 sqq. orationem habens, qui tamen magis ad Alcibiadis, quam Cleonis factionem inclinabat); ὁ προβατοπώλης est Lysicles. vs. 765. Plut. Per. 23. — Cleon autem erat βυρσοπώλης; atque Hyperbolus λυχνοποιός. Quibus autem rationibus ducti viri illi pertinaces fuerint ad perseverandum in bello, egregie demonstrat Ullrichius Quaest. Aristoph. Spec. I. p. 21. 22.

[123]) Obiter tantum Arist. Thesmoph. 805 perstringitur his verbis: καὶ μὲν δὲ καὶ Κλεοφῶν χείρων πάντως δήπου Σαλαβακχοῦς. Difficillima est quaestio de tempore, quo editae sint Thesmophoriazusae, quum ex ipsa fabula nihil proficiamus. Nam quae vs. 804 de Charmino leguntur, ea et ad tempus cladis, quam Charmino duce Athenienses acceperunt (Thucyd. VIII, 42) et ad priora tempora referri possunt. Qui enim tunc rem male gessit, eum antea dignum fuisse verosimile est, cujus ignaviam notaret poëta. Id tantum e fabula discimus, eam anno post Euripidis Andromedam fuisse actam vide vs. 1060: cujus tamen tempus nihilo certius est. Scholiastes ad Arist. Ran. 53 auctór est, eam doctam fuisse octavo anno ante Ranas (Lenaeis Ol. 93, 3. Jan. 405 a. Chr. editas), itaque inter Lenaea Ol. 91, 3 — 4. Jan. 413 — 412 [Andromedam post Aristophanis Aves, i. e. post Dionysia Ol. 91, 2. 414. actam esse confirmat Schol. ad Av. 347]. Si igitur sumimus, Andromedam actam esse Lenaeis Ol. 91, 3: Thesmophoriazusae editae fuerint Lenaeis Ol. 91, 4. Jan. 412 a. Chr. At Scholiastes alius (Arist. Dind. X, p. 945) tradit, Agathonem primum fabulam docuisse ante tres annos, quam ederentur Thesmophoriazusae; atqui Agathonem Ol. 90, 4. Lenaeis primum fabulam docuisse, constat ex Athenaeo V, p. 217 A.: ergo edita fuerit fabula Ol. 91, 3. Aliam quoque rationem inire licet. Scholiastes ad vs. 841 dicit, Lamachum quarto anno ante Thesmophoriazusas mortuum esse: mortuus est aestate 414: ergo fabula acta fuerit. 411. Ol. 92, 1. — Nihil igitur inter se con-

veniens proferunt Scholiastae. Versus 67 leuiter quidem significare videtur, Lenaeis doctam esse fabulam.

124) Conferas p. 11. 12. Not. 49. 54.

125) Aeschines de Fals. Leg. p. 114. in Ctes. §. 150. et qui cum Aeschine consentit, Isocrates de Pace c. 27. De ultima Cleophontis dimicatione conferri possunt Lysiae in Eratosthenem, in Agoratum, in Nicomachum orationes.

126) In Nicom. p. 252: *Κλεοφῶντος τοίνυν — ἕτερά μὲν ἄν τις ἔχον κατηγορῆσαι.*

127) Lysias pro Bon. Arist. p. 181.

128) Confer. Xen. Hell. II, 1, 32. Plut. Lys. 9.

129) Plut. Lys. 14: ubi audit *τῶν νεῶν δημαγωγῶν τις.*

130) Orator apud Lysiam de Crim. Larg. p. 196 sic de Alcibiade: *Ἀλκιβιάδης (ὅν ἐγὼ περὶ πολλοῦ ἂν ἐποιησάμην μὴ συμπλεῖν μοι) ἔπλει ἐπὶ τῆς ἐμῆς νεώς.* Quare Lysias lubentissime filium Alcibiadis accusandum suscepit: in ea oratione, quam contra illum habuit, etiam patri multa nefaria exprobravit cf. p. 149: quin etiam de Alcibiade ad exercitum ante infaustam pugnam proficiscente haec dicere ausus est: *καὶ τὸ τελευταῖον ὑπερβολὴν ποιησάμενος τῆς προτέρας πονηρίας, ἐτόλμησε τὰς ναῦς Λυσάνδρῳ μετὰ Ἀδειμάντου προδοῦναι.* — Sed defendit Alcibiadis filium Isocrates, longe aliam agendi legem secutus, in Oratione de Bigis ubi quae restitutus in patriam perfecerit, splendide commemorat c. 7. — Videtur et contra Alcibiadem *τὸν πάνυ* Lysias scripsisse orationem, cujus fragmenta servata sunt apud Athenaeum IX, p. 408. c. XII, p. 534 f. (XIII, 574).

131) Non possum, quin subjiciam Thucydidis VIII, 86 verba, cujus laus quanto rarior, tanto pluris aestimanda: *καὶ ἐδόκει Ἀλκιβιάδης πρῶτος τότε καὶ οὐδενὸς ἔλασσον τὴν πόλιν ὠφελῆσαι.*

132) Ducentas omnino naves de Peloponnesiis captas esse, contendunt Cornelius Nepos (vit. Alc. 7), Justinus (V, 5), Plutarchus (Alcib. 32), Athenaeus (XII, p. 535. c.); hic quum sua de Alcibiadis reditu e Duride Samio hauserit, fortasse numerus ille, qui apud ceteros scriptores invenitur eidem auctori debetur. — De Duride non assentior Schneidero (Praef. ad Xenoph. Hell. p. XIV) putanti, quia res ab Alcibiade et Lysandro gestas in Asia copiose narraverit, eum etiam historias Graecas conscripsisse. Nam plurimis locis, ubi eum laudat Plutarchus, invenies res gestas cum Samiorum republica cohaerere: Per. 28. Lys. 18. Atque etiam ut de Alcibiade loqueretur, facile, persequendo Samiorum per bellum Peloponnesiacum fata,

deduci potuit. (Plut. Alc. 32. Ages. 3.) Quare talia potius retulerim ad notissimum Duridis librum, cui inscriptum erat: *Σαμίων ὅροι.* conf. Athen. XV, p. 696. — qui locus *tibi persuadebit*, etiam quod Plut. Lys. 18 attulit ex eodem opere *sumtum* esse. —

133) Xen. Hell. I, 4. Plut. Alc. 32 (qui et hac in re Xenophontem prae ceteris sequitur, repudiata Duridis Samii narratione, quam exhibet) Athenaeus XII, p. 535. c. — Justin. V, 4. — Xenophon narrat, nondum reverso Alcibiade, Thrasybulum et Cononem cum eo praetores esse creatos; et postea quum Athenis proficisceretur, cum eo missos esse Aristocratem et Adimantum. — Diod. XIII, 69 autem et Corn. Nep. vit. Alcib. 7 ab eo dissentiunt. cf. Not. 62.

134) Appulerat enim ad Piraeum, quum Plynteria celebrarentur, quo die majoris quid negotii agere Atheniensibus *nefas* erat. Vide sis Xen. Hell. I, 4, 12. Plut. 34. Fortasse ut suspicionem quam ob hanc causam moverat, ex populi animo deleret et pietatem suam ostentaret, postea Mysteria Eleusina terra deducenda suscepit. Xen. I, 4, 20. Plut. 34. — Unde videmus Alcibiadem degisse Athenis inde a die XXV Thargalionis (ubi Plynteria celebrabantur), certe usque ad diem XX Boëdromionis (ubi Mysteria agebantur): quatuor igitur menses, quapropter cum Clintonio Fast. Hell. 407 apud Xenophontem I, 4, 21, legendum puto: *τετάρτῳ μηνὶ* pro *τρίτῳ μηνί.*

135) Vide sis Plut. Alcib. 34. 35. ubi haec: *Αὐτὸς μὲν οὖν ἐκεῖνος ἣν εἶχε διανοίαν περὶ τῆς τυραννίδος, ἄδηλον ἐστιν· οἱ δὲ δυνατώτατοι τῶν πολιτῶν φοβηθέντες, ἐσπούδασαν αὐτὸν ἐκπλεῦσαι τὴν ταχίστην.*

136) Plut. Alcib. 35: et qui eandem Chium nominat, Lysias in Alcib. p. 149.

137) Vicit quidem Andrios manibus consertis, sed urbem capere non potuit. Xen. 1, 4, 21. Plut. Alc. 35. Etiam insequente vere Conon in ea oppugnanda versabatur. Xen. I, 4, 18: cujus in locum suffectus est Phanosthenes, ipse Andro oriundus. (Plat. Joh. p. 541.) Qui autem eodem Platonis loco ceteri, etsi peregrini, ab Atheniensibus exercitibus praefecti esse dicuntur, Apollodorus Cyzicenus et Heraclides Clazomenius, nescio an alibi commemorentur. — Praeterea in hoc tempus incidere videtur saevissimum Atheniensium in Andrios captivos decretum, cujus suasor erat Philocles. cf. Not. 128.

138) Xenophon (Hell. I, 5, 15) Delphinium captum in tempore pugnam Notiensem excipiente ponit. Aliter Diodorus XIII, 76. Sed ex eodem Diodoro apud Xenophontem l. l. emendandum

esse videtur *Τεῖον* pro *Ἠϊόνα*. cf. Krueger. Comm. p. 333. N. 60.

139) Solus Plutarchus Alcib. 36. eum nominat: aliunde ignotus est. Diversum enim eum esse a celeberrimo Thrasybulum, jam satis demonstravit Hinrichsius in docta de Critia, Theramene et Thrasybulo dissertatione. — Eundem fuisse putare videtur Hermannus (Lehrb. d. Gr. St. §. 167. N. 12.). Num autem Thrasonis filius et Colyttensis, qui praecipue post triginta virorum dominationem florebat, unus idemque fuerit, id in medio reliquerim. Thrasones nonnulli inveniuntur, sed nullus Colytto pago oriundus. (*ὁ Βουτάδης* Boeckh. C. I. No. 147; *ὁ Σφήττιος* ib. No. 158; atque *ὁ Ἑρχιεὸς* posteriore tempore celeberrimus. Aesch. Ctes. §. 138. Dinarch. in Demosth. §. 38.)

140) Aristoph. Ran. 1432 (Plut. Alcib. 16). Verba Euripidis haec sunt (vs 1427 — 29):

μισῶ πολίτην, ὅστις ὠφελεῖν πάτραν
βραδὺς φανεῖται, μεγάλα δὲ βλάπτειν ταχύς;
καὶ πόριμον αὑτῷ, τῇ πόλει δ' ἀμήχανον;

de statu reipublicae haec (vs. 1446):

εἰ τῶν πολιτῶν, οἷσι νῦν πιστεύομεν
τούτοις ἀπιστήσαιμεν, οἷς δ' οὐ χρώμεθα
τούτοισι χρησαίμεσθα, σωθείημεν ἄν.

Euripidem cum Theramene conjunctum fuisse, significari videtur Ran. vs. 967.

141) Conferas Plut. Alcib. 38. 39. Corn. Nep. Alcib. 9. 10. Incidit igitur obitus ejus in annum 404 a. Chr. Ol. 94, 1. quamquam Diodorus eum ponit in Ol. 94, 2. (XIV, 11.) quo tempore triginta virorum dominatio jam sublata erat.

142) Pater ejus Lycus (Thucyd. 8, 75. Nep. vit. Thras. 1. Paus. I, 29.) aliunde ignotus est. Thrasybulus non pauper fuisse videtur; quum triercha fuerit 411 (Thucyd. 8, 71) et 406 a Chr. (Xen. I, 6, 36). Justinus V, 9 quidem eum appellat domi nobilem; Nepos autem non; quemadmodum putavit Hinrichsius Not. 1, de nobilitate generis loquitur.

143) Thucyd. VIII, 73. 75. 76. 81: ubi Thrasybulus dicitur *ἀεί τε τῆς αὐτοῦ γνώμης ἐχόμενος κ. τ. λ.* — Corn. Nep. 7: Alcibiades primum per Thrasybulum, Lyci filium, ab exercitu recipitur. Quumque Alcibiades milites reditum in patriam flagitantes retinere conaretur, *συνέπραττεν αὐτῷ καὶ Θρασύβουλος ὁ Στειριεὺς ἅμα παρὼν καὶ κεκραγώς· ἦν δέ, ὡς λέγεται, μεγαλοφωνότατος Ἀθηναίων.* Plut. Alc. 26.

144) Cornel. Nep. vit. Alc. 7: „Alcibiades pari absens

imperio praeficitur cum Thrasybulo et Theramene. Horum imperio tanta commutatio rerum facta est etc." et vit. Thras. 1.

[145]) Diodorus XIII, 64, postquam narravit, Atheniensium duces, qui ad Cyzicum haerebant, Chrysopolin castellum communivisse, sic infit: *Μετὰ δὲ ταῦτα, διελομένων αὐτῶν τὰς δυνάμεις, Θηραμένης καταλείπεται — Θράσυβουλος δὲ περὶ Θράκην πεμφθεὶς, τὰς ἐν τούτοις τοῖς τόποις πόλεις προσηγάγετο· Ἀλκιβιάδης δὲ τὸν Θράσυλλον μετὰ τῶν τριάκοντα νεῶν ἀπολύσαι.* — Mirum saue est hoc loco Wichersium (ad Fragm. Theop. VII.) *Θρασύβουλος* in *Θράσυλλος* mutare voluisse, atque citasse Palmerium et Wesselingium, qui idem jam emendassent: sed Wesselingius certe tantum initio cap. 64 hoc modo mutandum censet, ubi certissima est illa emendatio. — Magnam autem dubitationem movet, quod nihil hac de expeditione Xenophon narrat: atque quod anno sequente idem ab eodem Diodoro XIII, 92. de Thrasybulo memoriae proditur. E Xenophonte I, 4, 9 id tantum videmus, eo tempore, quo Alcibiades reditum in patriam parabat, Thrasybulum cum triginta navibus in regiones Thracias profectum esse, ibique tum alia oppida, tum Thasum recuperasse. Thasii autem eo tempore, quo per quadringentos Attica respublica commutabatur, arrepta occasione ab Atheniensium dominatione se liberaverant (Thucyd. 8, 64); tunc recepere harmostam Laconicum Eteonicum, quem quidem una cum Laconistis, non totius anni spatio interposito, insula expulerunt Xen. Hell. I, 1, 32: neque tamen ad Atheniensium se applicuerunt; usque ad annum 408, ubi in Atheniensium ditionem eos redegit Thrasybulus, sua libertate usi esse videntur, id quod tunc non adeo difficile erat, quum et Spartani et Athenienses ad bellum in alio tractu gerendum animum intendissent: neque jam Athenienses, quemadmodum belli initio soliti erant, in diversas simul regiones exercitus mittere possent. Simile quid fortasse de Chiis conjicere licet (vide Not. 51). — Thrasybulum in Thaso expugnanda per Ecphantum adjutum esse, discimus e Demosth. Lept. p. 474.

[146]) Falsus est Diodorus XIII, 69, quum tradat Thrasybulum Andri relictum esse ab Alcibiade.

[147]) Optime enim Kruegerus (Comm. p. 342. Not. 140) apud Xenophontem I, 5, 11. in verbis: *Θρασύβουλον ἔξω Ἑλλησπόντου ἥκοντα τειχίζειν Φώκαιαν* legendum esse censet *περιτειχίζειν* pro *τειχίζειν*.

[148]) Vide sis Lysiam de Evandro p. 232. contra Ergocl. 241. 242. Thrasybulus significatur etiam nomine *τοῦ σεμνοῦ*

Στεφιέως pro Manth. p. 159. Haec si quis legerit, haud facile sibi persuadebit, ab eodem Thrasybulo olim Lysiam summo beneficio affectum fuisse: narrat enim, qui Lysiae vitam conscripsit (in Pseudopl. vit. X Oratt.), post restitutam democratiam, suffragante Thrasybulo, populum Lysiae civitatem decrevisse; sed rem universam, Archino auctore, irritam cecidisse. Equidem puto historiolam illam rejiciendam esse: atque in Lysiae vitam illatam ex narratione simillima, quae est apud Aeschinem contra Ctesiph. §. 195. — Cononem posteriore tempore non amicissimum fuisse Thrasybulo colligo ex Arist. Rhet. II, 23: ubi quare de Colyttensi cogitemus — id quod voluit Clintonius Fast. Hell. p. 378. 9. — equidem non video.

149) Praeter Xenophontem conferas Aeschinis Socratici Axiochum p. 369. — Erat Euryptolemus filius Pisianactis consobrinus Alcibiadis. cf. Xen. Hell. I, 4, 19; fortasse Pisianax fuerat frater Dinomaches, matris Alcibiadis. — Axiochus autem, Cliniae filius, fortasse item propinquus erat Alcibiadis: et idem, qui propter Hermas mutilatos olim cum Alcibiade (cf. And. de Myst. §. 16.) atque amator ejusdem; de quo nonnulla exhibet Athenaeus XIII. p. 575. XII. p. 534.

150) Lysias de Crim. Larg. p. 196. unde et discimus, mortuum eum esse Mitylenae. Quapropter Schneiderus Hell. I, 6, 16: nomina Erasidinae et Leontis, qui Mitylenam cum Conone confugisse traduntur, recte legendum censuit: *Ἀρχέστρατον*.

151) De Chaerea vide sis Thucyd. VIII, 74. 86. — Eupolis *ἐν Βάπταις* eum tanquam peregrinum cavillatus erat cf. Schol. ad Arist. Vesp. 687. — Si fides habenda Diodoro interfuit etiam pugnae Cyzicenae committendae (XIII, 49. 51. quo in loco vocabulum *Χάρητος* mutandum esse, jam pridem animadversum est).

152) Quare totum collegium dicitur *οἱ μετὰ Θρασύλλου* Lys. p. 196.

153) Vide sis Athen. XII, p. 534 f.

154) De Pericle conferas Plut. Per. 24. 37. Boeckh. C. I. N. 147. Interprett. ad Xen. Mem. III, 5.

155) Thucyd: VIII, 89. Demosth. Theocr. p. 1343. Arist. Av. 126. — Conferas et Platon. Gorg. p. 472: *Ἀριστοκράτης ὁ Σκελλίου, οὗ ἐστιν ἐν Πυθίου τοῦτο τὸ καλὸν ἀνάθημα.*

156) Thucyd. V, 24. Inter eos, qui pacem Niceanam juraverant, legitur in eodem loco (V, 19) *Ἀριστόκοίτης*.

157) Thucyd. VIII, 9.

158) Thucyd. VIII, 89. 92. Demosth. l. l.

159) Boeckh. Inscr. N. 147. (Pryt. 9.)

160) Erat enim *κατὰ γῆν ᾐρημένος στρατηγεῖν*. Xen. I, 4, 21.

161) Thucyd. VIII, 73.

162) Confer Euryptolemi Orationem apud Xenoph. I, 4. Aristoph. Ran. 494. Lysiam p. 196.

163) Apud Xenophontem I, 5, 16. I, 6, 16. olim legebatur *Λέων* pro *Λυσίας*: sed jam dudum mendum animadversum est et vera scriptura reposita ex I, 6, 30. 7, 2. Diod. 13, 101. Leon, qui saepe apud Thucydidem una cum Diomedonte nominatur, certe est Salamius ille, quem triginta viri interfecerunt. (Vide Not. 310.) Diodorus XIII, 74 Lysaniam eum appellat: ceteroquin eo loco probum exhibet praetorum catalogum: sed XIII, 101. e sex damnatis praetoribus quatuor tantum recte ponuntur: desunt Erasinides et Diomedon: pro quibus Calliades nominatur. — Plerique quidem decem illos praetores ordinarios fuisse existimare videntur (sic Hinrichsius p. 14). Equidem autem extraordinarios fuisse eos puto. *Id* certum est, Alcibiadem, Thrasybulum, Cononem, qui ante eos munere praetorio functi erant fuisse praetores extraordinarios: praeter eos enim alios invenimus ordinarios, qui jam tunc provincias inter se partiti sunt (Xen. Hell. I, 4, 21). Decem illi, si ordinarii fuissent, eo tempore, quo in extraordinariorum praetorum locum successerant, jam fungerentur eo munere necesse fuisset: sed videmus eos tunc demum electos esse (Xen. *Hell.* I, 5, 16). Atque ii, qui decem subsecuti sunt, primo tempore tres tantum erant, itaque et ipsi extraordinarii: iis mox additi sunt tres alii: qui si ex collegio decem ordinariorum praetorum jam constituto iis adjuncti fuissent, eos non recte dixisset Xenophon (II, 1, 16) tunc creatos esse.

164) Confer. Xen. Hell. I, 7. Diod. XIII, 101—103.

165) Diod. XIII, 38. XIV, 3—5.

166) Vide sis initium vit. Isocratis (apud Pseudoplutarchum). Dionysius (Jud. Isocr.) dubitanter tantum addit, eum Theramenis discipulum fuisse. Vide praeterea Hinrichs. N. 24.

166 a) Conf. Lys. in Eratosth. p. 106. Sed vide Hinrichs. N. 16: qui etiam Thrasybulum egregie defendit p. 18 et Not. 17.

167) Quum Lacedaemonii post pugnam Arginusarum pacem peterent (cf. Not. 54) jam potentia ejus restituta erat. In diversam sententiam abiit Hinrichsius (p. 17): sed nescio quo testimonio nisus.

168) Aristoph. Ran. 416, 589, ubi ὁ γλάμων dicitur, idem ejus vitium attingit Lys. in Alcib. p. 146, ubi dicitur οὐκ ὀλίγα τῶν ὑμετέρων ὑφῃρημένος. Confer Xen. Mem. II, 9.

169) Miror certe, Schneiderum, nulla temporis ratione habita, hunc Timocratem eundem putasse, contra quem habuerit orationem Demosthenes. Fortasse autem idem Timocrates est, qui Aristotelis pater dicitur Thucyd. III, 105. et qui in pacem Nicianam juraverat Thucyd. 5, 19.

170) Praeter Xenophontem et Diodorum conferas Aesch. Axioch. p. 349. et Schneiderum ad Xenophontem.

171) Arist. Ran. 967: οὑμὸς δὲ Κλειτοφῶν τε καὶ Θηραμένης ὁ κομψός. — Lys. pro Dexia (Fragm. 14). Apud Plutarchum Praecept. Reip. Ger. c. 10 cum Cleone conjungitur, nisi cum Cleophonte ibi confunditur; simile enim quid videbis apud Meineck. Quaest. Sc. II, 19.

172) Huc enim referendus locus apud Lysiam contra Agoratum p. 119 de anno 404 a. Chr.: πεισθέντες δὲ ὑμεῖς εἵλεσθε ἐκεῖνον πρεσβευτὴν αὐτοκράτορα, ὃν τῷ προτέρῳ ἔτει στρατηγὸν χειροτονηθέντα ἀπεδοκιμάσατε, οὐ νομίζοντες εὔνουν εἶναι τῷ πλήθει τῷ ὑμετέρῳ.

173) De Cephisodoto nihil reperire potui: diversus autem procul dubio est ab oratore celeberrimo, de quo vide sis Ruhnken. Hist. Crit. Oratt. Graecc. p. 141. Boeckh. ad C. I. N. 87. — Diodorus XIII, 104. duos tantum praetores omnino nominat.

174) De Tydeo et Adimanto conferas Paus. X, 9. IV, 17. Xen. Hell. II, 1, 32. Lys. in Alcib. p 150.

175) Conferantur Aristoph. Ran. 1513. Xen. Hell. I, 4, 21. et quem citat Scholiastes, Eupolis ἐν Πόλεσιν (οὐκ ἀργαλέον δῆτ' ἐστι πάσχειν τοῦτ' ἐμὲ τὸν Λευκολόφου παῖδα). — Erat peregrinus. Nominatur et Adimantus, fortasse idem, Andoc. Myst. §. 17.

176) Xen. Hell. I, 4, 21. Diodorus. Cornelius Nepos.

177) Demosth. Fal. Leg. p. 401.

178) De Menandro confer Thucyd. VII, 16. Xen. I, 2, 16.

179) Fortasse idem Tydeus est, quem invenimus apud Lysiam pro Polystr. p. 192.

180) Lysias in Erat. p. 101.

181) Thucyd. I, 80—85. II, 12. 18. Paus. III, 7, 9.

182) Thucyd. V, 16.

183) Thucyd. IV, 119. V, 19. 24. Inter illos est Athenaeus filius Periclidae, cui id nomen impositum est certe ex eadem causa, qua Cimon olim filio suo Lacedaemonii nomen induit (cf. Not. 70). Athenaei autem pater Periclidas idem certe

est, qui tertio bello Messenico auxiliorum petendorum causa Athenas missus erat. Arist. Lys. 1138. Plut. Cim. 16.

184) Thucyd. V, 44 coll. c. 21. Interfuit cum Lysandro et Miltiade etiam concioni illi, qua Athenienses triginta viris rempublicam tradere coacti sunt Lys. in Eratosth. p. 109. Certe neque Miltiades neque Philocharidas fuerunt Athenienses, id quod putavit Schneiderus ad Xen. Hell. II, 2, 24.

185) Thucyd. VIII, 6.

186) Thucyd. VIII, 12.

187) Diodor. XIII, 52.

188) Thucyd. I, 139. II, 12.

189) Thucyd. I, 139. V, 12. 13.

190) Diod. XI, 50.

191) Xen. Hell. I, 6, 7.

192) Thucyd. V, 36. de Sthenelaïda conferantur Thucydides I, 86. Paus. III, 7, 10.

193) Thucyd. V, 16.

194) Siquidem id colligere licet ex iis, quae narrantur a Plutarcho vit. Lys. 6. Idem autem vit. Lys. 21 ita loquitur, ut Agis quoque postea Lysandro adversatus esse videatur.

195) Xen. Hell. II, 4, 29.

196) Thucyd. V, 63.

197) Thucyd. VIII, 5.

198) Xen. Hell. II, 4, 6. de Rep. Lac. 13.

199) Conferas Haackium Dissert. Chronol. p. 15—17.

200) Xen. Hell. I, 5, 1.

201) Diod. XIII, 65.

202) Xen. I, 1, 32: *Ἐπὶ τὸ ναυτικὸν, ὅ Πασιππίδας ἠθροίκει ἀπὸ τῶν συμμάχων, ἐξεπέμφθη Κρατησιππίδας, καὶ παρέλαβεν ἐν Χίῳ.* Pasippidas autem non videtur fuisse navarchus: quamquam fortasse complures res non prorsus ignobiles perfecit. Xen. Hell. I, 3, 17 narratur Clearchus Byzantio abiisse, *ναῦς ξυλλέξων, αἵ ἦσαν ἐν τῷ Ἑλλησπόντῳ ἄλλαι ἄλλῃ καταλελειμμέναι φρουρίδες ὑπὸ Πασιππίδου.* — Postea Pasippidas quidam Lacedaemoniorum legatus, ad regem Persarum proficiscitur. Xen. Hell. I, 3, 13. Sed vix eundem esse putarem.

203) Simile quid accidisse videtur post Callicratidae obitum; commissa erat Arginusarum pugna fere Augusto mense 406 a. Chr. et Aracus navarchus cum Lysandro vere demum 405 in Asiam pervenit (cf. Haack. p. 17). — Sed interdum navarchi plus annum in magistratu permansisse videntur. Sic

Alcidas jam initio aestatis 430 atque etiam fine aestatis 429 eodem munere fungebatur coll. Thucyd. II, 66. 93.

204) Thucyd. II, 85. III, 69., tunc autem Brasidas, Alcidae ξύμβουλος, non erat ἰσόψηφος. III, 79. cf. Krueger. Comment. p. 280.

205) Poll. I, 96: ἐπιστολεὺς ὁ ἐπὶ τοῦ στόλου διάδοχος ναυάρχου. Xen. Hell. II, 1, 5. IV, 8, 11. V, 1, 5. 6, idem dicebatur etiam ἐπιστολιάφορος. VI, 1, 25.

206) Xen. Hell. I, 1, 23.

207) Thucyd. VIII, 61.

208) Xen. Hell. I, 3, 17. Brasidas dicitur Thucyd. III, 69: ξύμβουλος Ἀλκίδᾳ ἐπεληλυθώς.

209) Thucyd. VIII, 5. 8. 12.

210) Thucyd. III, 100 coll. c. 109.

211) Thucyd. VIII, 8, 80. Vide Xen. Anab. II, 6.: ἕως μὲν πόλεμος ἦν τοῖς Λακεδαιμονίοις πρὸς τοὺς Ἀθηναίους, παρέμεινεν.

212) Diod. XIII, 40. Thuc. VIII, 107.

213) Diod. XIII, 51. Dubitat quidem Haackius Dissert. Chronol. p. 10. Sed quum fine Februarii mensis ad Cyzicum pugnatum sit, nihil obstat, quominus jam Aprili mense apud Agidem fuerit.

214) Xen. Hell. I, 1, 35. 36.

215) Xen. Hell. I, 3, 15.

216) Xen. Hell. II, 1, 2.

217) Diod. XIV, 12.

218) Thucyd. VIII, 61. 62.

219) Xen. Hell. IV, 8, 3. IV, 3 in.

220) Thucyd. VIII, 23.

221) Xen. Hell. I, 1, 32.

222) Xen. Hell. I, 6, 26—37. Polyb. I, 44.

223) Xen. II, 1 in.

224) Xenophon quidem Hell. II, 1, 27 narrat tunc copiis pedestribus praefuisse Thoracem, qui certe idem est, quem a Lysandro postea Sami harmostem factum esse auctor est Diodorus XIV, 3; cujusque opera Lysander Lampsacum occupavit. Plut. Lys. 9 (de ejus obitu cf. Plut. ib. c. 19). Sed Diodori (XIII, 106) illo munere Eteonicum functum esse narrantis testimonium confirmat illa res, quod inter eos, quorum opera Lysander in proelio committendo usus sit, non nominatur Thorax, sed Eteonicus. Paus. X, 9, 4 (VI, 3, 6). Sed non abnuerim, si quis putet celebratum Eteonici nomen etiam hunc in locum falso irrepsisse, simili ratione, qua apud Paus.

IX, 32. historumcula quaedam memoriae proditur, quae rectius ad Callibium refertur. Plut. Lys. 15. An invidebat Xenophon Eteonico gloriam illam, iratus ei propter ea, quae ipse de eo narravit Anab. VII, 1, 12.

225) Xen. Hell. II, 2, 5. Conf. Not. 65.

226) Xen. Hell. I, 6, 32. Paus. X, 9, 4. Sed id multum difficultatis habet, quod jam in pugna Arginusarum committenda Megarensis vocatur, quum Demosth. Arist. p. 691 narret, etiam post proelium ad Aegos potamos Megarenses cum civitate donare noluisse.

227) Paus. VI, 3, 6. Xen. III, 2, 12. (ibique Schneider.) Fortasse idem Pharax commemoratur a Diodoro XII, 79. Ex Pausania X, 9 videmus etiam Epicyridam pugnae interfuisse, de quo conferas Schneider. ad Xen. Hell. IV, 2, 2.

228) Thucyd. IV, 138.

229) Thucyd. VIII, 5.

230) Id cadere videtur in Milesios, priusquam Lysander in eos saeviret. cf. Not. 56.

231) Videre id licet ex Atheniensium sub triginta viris conditione. Xen. II, 3, 14.

232) Paus. X, 9. cf. Plut. Lys. 18.

233) De Dorieo cf. Paus. VI, 7. Thucyd. VIII, 35. 80. Xen. Hell. I, 1, 1. Diod. XIII, 38. 45. Xen. I, 5, 19. Mortem ejus refert Pausanias, etsi dubitanter, secutus Androtionis narrationem. Rhodi a Spartanis defectio sub Olymp. XCVI, 2 narratur a Diodoro XIV, 79.

234) Thucyd. IV, 58 — 65.

235) Thucyd. VI, 33 — 35.

236) Thucyd. VI, 36 — 41. Athenagoras prae se fert animum ad Athenienses magis inclinatum: persuadere sibi non potest, illos contra Syracusana, eodem reipublicae genere usos, hostiles gerere spiritus.

237) Prae ceteris vide Timaeum apud Plut. Nic. 1.

238) Diod. XIII, 35.

239) Cum viginti navibus eum profectum esse, auctor est Thucydides VIII, 26, cum viginti tribus Diodorus XIII, 34. 63.

240) Thucyd. VIII, 84. 85. Kruegerus Comment. p. 321. tunc eum Spartam profectum esse negat, sed Thucydidem praecepisse, quod postmodo factum esse doceat Xenophon. Sed tota Thucydidis narratio huic sententiae repugnat. Ea tantum postea facta sunt, quae explanantur inde a verbis: *καὶ τὰ τελευταῖα* c. 85.

241) Diodorus XIII, 39: quem contra Wesselingium de-

fendit Kruegerus, pro ea, quam his de rebus sequitur, sententia (vid. Not. 240).

[242]) Xen. Hell. 1, 1.

[243]) Thucyd. VIII, 85. Xen. I, 1, 31: quo in loco lacuna mihi esse videtur. Xenophon fortasse narraverat id quod Thucydides l. l., Hermocratem urgente Tissapherne ad Pharnabazum confugisse. Sed neque apud Thucydidem, neque apud Xenophontem iterum Spartam profectus esse traditur.

[244]) Xen. Hell. I, 3, 13: quo in loco id mirum, quod Hermocrates ἤδη φεύγων vocatur, quum exsilium ejus jam narratum sit a Xenophonte, idque in annum certe antecedentem incidat. Rem non expedivit Schneideri explicatio.

[245]) Diod. XIII, 63. narrat eum Messanae naves et milites comparasse; dissentiente, ut mihi videtur, Xenophonte I, 1, 31.

[246]) Recte Diodorum (XIII, 54 — 62) arbitror posuisse urbes illas dirutas in Ol. XCII, 4, 409 a. Chr. Xenophon quidem I, 1 fin. narrat eam rem sub Ol. XCII, 2. 411: id quod vix ita se habere potest. Ipse enim Xenophon paulo post (410) duas naves Selinuntias in Asiam venisse dicit. I, 2, 18: igitur etiam tunc urbs steterit, necesse est. Quin Diodorus (XIII, 61), in rebus Siculis haud spernendus auctor, dicit Siculos quas naves Lacedaemoniis auxilio miserant, ex Asia revocasse, eo tempore, quo Himera oppugnaretur: et profecto nihil inde ab anno 409 a. Chr. de Siciliensibus navibus in Asia versantibus legimus. — Praeterea Agrigentum urbem captam potius cum Diodoro in anno 406, quam cum Xenophonte (I, 5, 21. II, 2, 24.) in anno 408 posuerim: quum enim Hermocratem etiam 409 in Asia commoratum esse ex ipso Xenophonte videamus, certe 408 in Siciliam profectus est: sed in eundem annum incidere non potest Agrigenti eversio. — Quapropter aut falso tempore Xenophon ipse res Siculas commemoravit, aut tres illi loci spurii: hoc ut putem, magis inclinat animus. — Diodorus praeterea ante oculos habuit Timaeum, quo nullus rerum scriptor in temporibus ordinandis accuratior et diligentior exstitit.

[247]) Diod. XIII, 61.

[248]) Res ab Hermocrate in Sicilia gestas explanavit Diodorus XIII, 63. 75.

[249]) Vide sis Xen. Hell. II, 2, 3. 10.

[250]) Lysias in Agor. p. 121, in Nicom. p. 251. Si anni civilis initio Senatus constituebatur, id factum est Hecatombaeone Ol. 93, 4. 405 a. Chr. itaque non ita multo post ducum ad Arginusas victorum damnationem. — Sed qui eodem tempore

creati esse videntur praetores ordinarii, viri ab oligarchis alieni erant: ut Cleophon (Lys. p. 119), Eucrates (Lys. p. 165), Strombichides, quos certe hieme Ol. 93, 4 praetorio munere fungi videmus.

251) Lysias in Nicom. p. 252. Not. 94.

252) Decretum illud pertulit Patroclides. vide sis Andoc. de Myst. §. 73. 77—79. qui §. 80. addit, τοὺς ἀτίμους quidem ἐπιτίμους factos, sed non exsules in patriam esse restitutos id quod dicit Lys. p. 226, res tempore diremtas conjungens (collige Xen. II, 2, §. 10. cum §. 22.). Fortasse idem Patroclides commemoratur Arist. Av. vs. 790.

253) Lysias p. 103 nominat eos συναγωγεῖς τῶν πολιτῶν, ἄρχοντας δὲ τῶν συνωμοτῶν: illud, ut mihi videtur, significat eos cives ad conciliabula secreta convocasse. Nam noluerim eum Boeckhio (Staatsh. II, p. 252) et Hermanno (§. 169.) putare, eos a populo institutos esse, quemadmodum ante quadringentorum dominatum τοὺς προβούλους. Nam e verbis, quae apud Lysiam sequuntur, apparet Eratosthenem negasse, se collegii illius participem fuisse; id vix potuit, si publice institutus fuisset.

254) Conferas cum Xenophonte Lysiam in Agor. p. 118. De pace actum est ut videtur non ita multo post Lacedaemoniorum adventum cf. Lys. ib. — Ad pacis conditiones a Lacedaemoniis tunc latas referendam puto Aeschinis depravatam narrationem de Fals. Leg. p. 114.

255) Archestratum eumdem esse apud Plutarchum Lys. 16. Alcib. 16 puto cum Schneidero: non tamen eum, qui Plut. Phoc. 33 commemoratur, octoginta annis interjectis.

256) Conferas Xenophontem II, 2, 16 cum Lysia p. 119, p. 108.

257) Lys. in Agor. p. 119. Nicom. p. 252.

258) Xen. Hell. I, 7, 40. Non huc referendum est vocabulum κατὰ στάσιν in Lysiae p. 252 verbis his: ὀργίζεσθε τοῖς τριάκοντα, ὅτι σὺ τῶν ἀδικημάτων ἕνεκα, ἀλλὰ κατὰ στάσιν αὐτοὺς ἀπέκτειναν.

259) Thebanis imprimis crudelis contra Athenas sententia objicitur. Xen. Hell. VI, 5, 35: qui tamen ita se purgant, ut unum tantum id voluisse contendant. ib. III, 5, 8; hic erat secundum Plutarchum (Lys. c. 15. qui tamen falsum hoc in loco rerum ordinem exhibet), Erianthus, procul dubio idem, qui Paus. X, 9. inter Lysandri socios nominatur (alii Enanthum eum vocant. vide Schneider. ad Hell.). — Phocaeenses autem huic sententiae repugnasse traduntur Demosth. de Fals. Leg.

p. 361 (ibique Schol.), Plut. Lys. 15. — Cum Xenophonte consentit Justinus V, 8. — Polyaenus I, 45, 1. tradit Lysandrum censuisse Athenas conservandas esse.

260) Actum publicum, quo pacis conditiones continebantur, exstat apud Plutarch. Lys. 14: *Τάδε τὰ τέλη τῶν Λακεδαιμονίων ἔγνω· Καββαλόντες τὸν Πειραῖα καὶ τὰ μακρὰ σκέλη καὶ ἐκβάντες ἐκ πασῶν τῶν πόλεων, τὰν αὐτῶν γᾶν ἔχοντες· ταῦτά κα δρῶντες, τὰν εἰράναν ἔχοιτε, ἃ χρὴ δόντες, καὶ τοὺς φυγάδας ἀνέντες. Περὶ δὲ τᾶν ναῶν τῶ πλήθεος, ὁ κοῖον τί κα τήνοις δοκέῃ, ταῦτα ποιέετε*; ubi navium multitudo definienda Lysandro et Agidi, ut videtur, conceditur. Quid significent vocabula *ἃ χρὴ δόντες* nescio. Schneiderus quidem putat intelligi obsides, et confert Lysiam in Eratosthenem (p. 108 Tauchn.); sed hic locus et de solo Atheniensium timore intelligi potest: et mirum sane esset, nusquam alibi obsidum mentionem fieri. Quum autem in acto illo nihil de societate cum Peloponnesiis ineunda dicatur, simile aliquid inesse vocabulis *ἃ χρὴ δόντες* arbitror: ita ut sit: homines et pecuniam contribuentes ad communem foederis exercitum.

261) Diodor. XIV, 3.

262) Lysias p. 120 putat meliorem pacem per eos factam fuisse.

263) Lysias in Agorat. p. 120. In unum igitur diem (15 Munych.) cadent, quae narrantur a Lysia in Agor. §. 13 — 31. Concio, Munychiae habita §. 32., fuerit eadem, qua pax accepta est. Difficile sane est, illa omnia in unum diem cogere.

264) Xen. II, 2, 22: *Ἀντειπόντων δέ τινων αὐτῷ, πολλῷ δὲ πλειόνων ξυνεπαινεσάντων*; tunc fortasse Therameni obviam ivit Cleomenes demagogus. Plut. Lys. 14. cf. p. 24.

265) Vide Plutarchum laudatum Not. 260 et Aristidis locos, a Schneidero ad Xen. II, 2, 20 citatos.

266) Lysias in Eratosth. p. 109. Mirum in modum dissentit ab eo Diodorus XIV, 3.

267) Lys. in Eratosth. p. 109.

268) Xenophon: *ἔδοξε τῷ δήμῳ*. — Isocr. Areop. 27: (*οἱ τριάκοντα*) *ψηφίσματι παραλαβόντες τὴν πόλιν*.

269) Plutarchus (vit. Lys. 15) egregie consentit cum Lysia: disjungit Athenarum deditionem et murorum destructionem. Etiam Diodori (XIV, 3) narratio bona, si discesseris ab effusa illa Theramenis admiratione. — Quantum inter utramque rem interpositum fuerit temporis spatium: equidem pro certo definire non possum. Certe unus mensis, si non duo, interjectus

erat: ita ut murorum destructio et tyrannis constituta, quae cum eo competit, in finem Aprilis vel Maji mensis incidat; quin fortasse etiam longius intervallum interpositum est. Nam Xenophon (II, 3, 3 coll. §. 4.) cum Lysandri Samum profectione competere fere dicit solis defectionem, quae quidem incidit in tertium diem Septembris.

270) Lysias in Erat. p. 110: *παρηγγέλλετο γὰρ αὐτοῖς δέκα μὲν οὓς Θηραμένης ἀπέδειξε, χειροτονῆσαι, δέκα δὲ, οὓς οἱ καθεστηκότες ἔφοροι κελεύοιεν, δέκα δὲ ἐκ τῶν παρόντων.* hos mihi populus suo ex arbitrio creasse videtur propter sequentia Lysiae verba: *οὕτω γὰρ τὴν ὑμετέραν ἀσθενείαν ἑώρων, καὶ τὴν αὐτῶν δύναμιν ἠπίσταντο, ὥστε πρότερον ᾔδεσαν τὰ μέλλοντα ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ πραχθήσεσθαι.* Hoc modo Diodorus XIV, 4 dicere potuit, populum sua sponte Theramenem creasse.

271) Non recte Schneiderus putat eundem esse Cleomedem, qui commemoretur Plut. Lys. 14: nam ibi rectius legitur *Κλεομένης*, et adversatus is esse dicitur Therameni: quare non verosimile est eundem in triginta virorum collegium lectum fuisse.

272) Anaetius et Euclides iidem esse possunt, qui inveniuntur Boeckh. C. Inscr. No. 147: ille Hellenotamias, hic praetor.

273) Dioclem alium esse puto, de quo loquitur Demosthenes Tim. p. 713.

274) Theognis tragicus erat poëta. Schol. Arist. in Ran. 11.

275) De Erasistrato vide Meier. de bon. damn. p. 192.

276) Hippomachi obitus commemoratur a Xenophonte II, 4, 19.

277) De Sophocle conf. Rhunk. Hist. Crit. Oratt. Gr. p. 128.

278) Phaedrias procul dubio idem est, qui Phaedimus vocatur apud Demosthenem de Fals. Leg. p. 402.

279) Idem fortasse Theogenes olim ad Persarum regem missus erat ab Alcibiade Xen. I, 3.

280) Chremon Senator fuerat eo anno, qui tyrannorum dominationi antecessit. Lys. p. 252.

281) Melobius, Mnesitheus, Pison commemorantur a Lysia p. 94. 95. Phidon ab eodem p. 105.

282) De vita Eratosthenis antea acta loquitur Lysias in ea, quam contra eum habuit, oratione p. 102 seqq.

283) Aeschines et Aristoteles posthac Spartam missi sunt a suis. Xen. II, 3, 13. Inter Aeschinis majores fortasse ille Aeschines erat, quem Persici belli tempore res novas molitum esse auctor est Plutarchus vit. Arist. 13. — De Aristotele conferas Not. 81. Ante tyrannos constitutos apud Lysandrum ver-

sabatur (Xen. II, 2, 18), inde a quadringentorum dominatu dissoluto, ut videtur, exsul. (cf. Xen. II, 3, 46). Fortasse Aristoteles filius Timocratis est, qui commemoratur Thucyd. III, 105.

284) De Dracontide videas Lysiam in Eratosth. p. 109. Aristoph. Vesp. 157: ubi Schol. haec: *πονηρὸς οὗτος καὶ πλείσταις καταδίκαις ἐνεχόμενος, ὡς Πλάτων Σοφισταῖς. Καλλίστρατος δὲ ἕνα τῶν λ΄ φησίν, εἰ μὴ ὁμώνυμος· ἔστι γὰρ οὗτος ὁ τὸ περὶ τῶν λ΄ ψήφισμα περὶ ὀλιγαρχίας γράψας, ὡς Ἀριστοτέλης ἐν Πολιτείας.* — Eum, qui Lysiclis pater vocatur, C. Inscr. No. 141, eundem esse recte negat Boeckhius p. 199. — Fortasse autem idem commemoratur Plut. Per. 32, Periclis adversarius.

285) De Onomacle conferas Not. 83. Fuerat praetor anno 412 a. Chr. (vide Thucyd. VIII, 25. 30.) Etsi accusatus cum Antiphonte et Archeptolemo, evasisse videtur (conferatur in Antiphontis vita *τὸ ψήφισμα* atque *ἡ καταδίκη*). Sane miror, Schneiderum ad Xen. II, 3, 3 eum, qui inter quadringentos atque qui inter triginta viros fuerat, diversos putasse.

286) De Charicle conferas Not. 82. Erat filius Apollodori Thucyd. VII, 20. 26., atque in Critiae hetaeria. Lys. p. 105. Post Critiam Charicles proximum locum obtinuisse videtur: quare non raro totum collegium vocatur *οἱ τριάκοντα οἱ μετὰ Χαρικλέους.* Xen. Mem. I, 2, 31. Andoc. de Myst. §. 101. Arist. Pol. V, 5, 4. — Praeterea conferas Isocr. de Bigis §. 16.

287) Idem significatur ab Isocrate Areop. c. 24.

288) Niebuhrius Hist. Rom. II. p. 350.

289) Diodorus XIV, 4.

290) Non solum in corrupto Xenophontis loco, sed etiam apud Lysiam p. 64 commemoratur Archon Pythodorus.

291) Isocrat. Call. c. 3.

292) Res omnes, quae a Xenophonte in duobus capitibus posterioribus libri secundi exponuntur (si discesseris a paragrapho ultima), gestae sunt inde ab Athenarum deditione usque ad reditum populi. Deditae autem sunt Athenae *ἕκτη ἐπὶ δεκάτῃ Μουνυχίωνος μηνός.* (Plut. Lys. 15.) Ol. XCIII, 4. sub fine Martii mensis 404 a. Chr. Populus in urbem rediit *τῇ δωδεκάτῃ Βοηδρομιῶνος* (Plut. Glor. Ath. c. 7.) Ol. XCIV, 2. medio Septembri 403 a. Chr. Earum tantum rerum tempora novimus: de aliis nihil fere memoriae traditum est. Id quidem mihi persuasum habeo, ut jam supra (Not. 269) dixi, inter Athenarum deditionem et tyrannos constitutos plus unum

interjectum esse mensem: quare hanc rem posuerim in fine Aprilis. Inde ab eo tempore usque ad pugnam Piraeensem transacti sunt octo menses: Xen. II, 4, 21. Proximo *die* triginta viri urbe ejecti sunt: eorum igitur dominatus *sublatus* fuerit fine Januarii 403; et quae a Xenophonte narrantur *inde* a II, 4, 23. recte posueris in mense Februario usque ad medium Septembrem, sed Junio mense Archontum magistratus finitus est: vix puto per turbulentam illam reipublicae tempestatem novos creatos fuisse Archontes: huc retulerim Anarchiam illam. Euclides certe demum post populi reditum creatus est. Quare recte ab auctore vitae Lysiae (Pseudoplut. X Oratt.) dicitur *ἡ κάθοδος ἐκ ἀναρχίας τῆς πρὸ Εὐκλείδου.* — Diversa ratione rem tractavit Clintonius (Fast. Hell. 403). — Sed chronologia Diodori, ponentis Athenarum liberationem in tertio post Euclidem anno (XIV, 32. 33.), perversa est.

293) Xenophon. II, 3, 11: *βουλὴν δὲ, καὶ τὰς ἄλλας ἀρχας κατέστησαν, ὡς ἐδόκει αὐτοῖς* (cf. §. 38.). Diodorus autem (XIV, 4) triginta viros id facere debuisse dicit.

294) Lysias in Agor. p. 134: *οἱ τριάκοντα καὶ ἡ βουλὴ ἡ ἐπὶ τῶν τριάκοντα βουλεύουσα, οἱ αὐτοὶ ἦσαν ἅπαντες τῶν τετρακοσίων τῶν φευγόντων.*

295) Xen. III, 3, 12. 23. 50. Isocrat. Call. 3. Lysias p. 125.

296) Plat. Epist. VII., p. 324: *καὶ τῆς μεταβολῆς εἷς καὶ πεντήκοντα τινὲς ἄνδρες προὔστησαν ἄρχοντες· ἕνδεκα μὲν ἐν ἄστει, δέκα δ' ἐν Πειραιεῖ· περί τε ἀγορὰν ἑκατέροι τούτων, ὅσα τ' ἐν τοῖς ἄστεσι διοικεῖν ἔδει. τριάκοντα δὲ πάντων ἄρχοντες κατέστησαν αὐτοκράτορες.*

297) Xen. Hell. II, 3, 54. ubi commemoratur, qui inter eos notissimus est Satyrus, jam Senator ante triginta viros constitutos Lys. p. 251.

298) Inter decem viros Piraei noti nobis sunt Charmides, Glauconis filius (Xen. II, 4, 19). Glauco (Pythermus apud Athen. II, p. 44). Molpis (Harpocr.).

299) Quum nihil de populi concione sub triginta viris audiamus, id certissimum mihi esse videtur, eam tunc dissolutam fuisse. Neque dubitationem affert Lysiae p. 125 locus hic: *ἐπειδὴ τοίνυν οἱ τριάκοντα κατεστάθησαν, εὐθέως κρίσιν τοῖς ἀνδράσι τούτοις ἐποίουν ἐν τῇ βουλῇ. ὁ δὲ δῆμος ἐν τῷ δικαστηρίῳ ἐν δισχιλίοις ἐψηφίσατο*; populus enim id decreverat jam ante triginta viros constitutos cf. p. 124, et *ἐψηφίσατο* vim plusquamperfecti habet.

300) Plat. Epist. VII, p. 325.

301) Xen. Hell. II, 3, 12. Diod. XIV, 3. Lys. in Erat. p. 94. Caesar apud Sallust. Cat. 51. Primus sycophantarum per triginta viros interfectus esse dicitur Epitedeus quidam Plut. de Sol. Anim. 2 de Esu Carn. 4. Etsi nomen in utroque Plutarchi loco legitur, interpretes mutandum censuerunt, jure, ut et mihi videtur, existimantes nomen non esse proprium. Equidem autem puto, sycophantem aliquem per ironiam a populo fuisse nominatum ἐπιτήδειον (Plut. de Esu Carn. ὃς προσηγορεύθη Ἐπιτήδειος); eundemque postea quum interfectus esset, dictum fuisse ἐπιτήδειον ἀποθανεῖν: Plutarchus de Sol. Anim. tale quid significare videtur.

302) Lys. p. 102.

303) Lys. p. 116. 127. Isocr. Areop. 27: τοὺς δὲ νεωσοίκους ἐπὶ καθαιρέσει τριῶν ταλάντων ἀποδιδομένους: quem locum ad falsum tempus refert Schneiderus (ad Hell. II, 2, 23).

304) Plut. Them. 19.

305) Fortasse, si urgenda Lysiae (p. 125) verba: εὐθέως κρίσιν τοῖς ἀνδράσι τούτοις ἐποίουν ἐν τῇ βουλῇ, statim post triginta viros constitutos interfecti sunt: fortasse ante nefarios illos sycophantas.

306) Lysias p. 130.

307) Niceratus, celeberrimi Niciae filius interfectus narratur Xen. Hell. II, 3, 39. Lys. in Polfarch. in. Plut. Es. Carn. 2. Diod. XIV, 5. Hieronymus contr. Jovianum I. p. 187. Xenophontis locus ostendit, jam ante Theramenis caedem Niceratum occisum fuisse; aliter Diodorus.

308) Lys. in Poliarch. p. 166.

309) Antiphon, Lysonidae filius. Xen. II, 3, 40. Pseudoplut. vit. Antiph.: ubi tamen cum oratore confunditur; vide sis etiam Theopompi fragm. (ed. Wichers) N. 130. ex Philipp. XV.

310) Plat. Apol. Socr. c. 20. Xen. II, 3, 39. Andoc. Myster. §. 94. Hoc ex loco videmus, Meletum eum comprehendisse: is autem certe non est Socratis accusator: tale quid procul dubio significasset Plato l. l. (vide sis etiam Kruegerum ad Clint. Fast. Hell. Praef. p. XXXIV, 6.) — Accusator Socratis erat tragicus poëta (conferas Plat. ib. c. 10. et alia testimonia apud Clintonium). Invenitur etiam Meletus quidam implicitus Hermocopidarum causae Andoc. Myst. §. 13. 35. 63.; et ejus nominis vir postea ab iis, qui in urbe erant, ad Pausaniam missus est. Xen. II, 4, 46. — Leon procul dubio est adversarius ille quadringentorum virorum, qui saepe in Thucydidis libro octavo commemoratur (vid. Not. 83).

311) Plut. Lys. 15. Diod. 14, 5; fuerat Calliae amator confer Meineckium Quaest. Sc. I. p. 41.

312) Lycophron erat pater Lycurgi oratoris. vide sis Pseudopl. vit. Lycurgi.

313) Lys. p. 129. etiam pater ejus, qui orationem habuit in Theomnestum (vide sis Lys. 83. 88.) tunc occisus est.

314) Aesch. in Ctes. p. 240. de Fals. Leg. p. 114. Isocr. Areop. c. 27. in Loch. 10. Clintonii Fast. Hell. p. 425.

315) Hinrichsius in Dissertatione de Theramenis, Critiae et Thrasybuli rebus et ingenio (Hamb. 1820), nimis severe judicat de Critia p. 34.

316) Eratosthenem Therameni arctissime conjunctum fuisse, e tota Lysiae adversus eum oratione elucet. Phidon postea *in* urbe remanebat atque decemvir factus est, *δοκῶν ἐναντιώτατος εἶναι Χαρικλεῖ καὶ Κριτίᾳ καὶ τῇ ἐκείνων ἑταιρείᾳ.* Lys. p. 105.

317) Lys. in Nicom. p. 251. Xen. II, 3, §. 18. Ceteri vocabantur *ἔξω τοῦ καταλόγου* §. 20. ubi optime Schneiderus haec exhibet: „Hos [*τοὺς ἔξω τοῦ καταλόγου*] Isocrates ait pertinuisse ad *τὸν μετὰ Πεισάνδρου κατάλογον.* Ita contra Lochiten (p. 781) [est locus contra Euthynum c. 3]: *Νικίας γὰρ οὑτοσὶν, ἐπειδὴ οἱ τριάκοντα κατέστησαν, καὶ αὐτὸν οἱ ἐχθροὶ ἐκ μὲν τῶν μετεχόντων τῆς πολιτείας ἐξήλειφον, εἰς δὲ τὸν μετὰ Πεισάνδρου κατάλογον ἀνέγραφον. κ. τ. λ.* Idem contra Callimachum [c. 8]: *οὔτ᾽ ἐκ τῶν μετεχόντων τῆς πολιτείας ἐξαλείψας, εἰς δὲ τὸν μετὰ Πεισάνδρου κατάλογον ἐγγράψας.* Videtur intelligi deterrimus ille demagogus Pisander, de quo multa Thucydides. Hunc eundem catalogum dicit Lysias p. 773 [R. p. 223 T.]: *οὐδ᾽ ἐς τὸν κατάλογον Ἀθηναίων καταλέξας οὐδένα φανήσομαι,* quem locum pessime interpretatur Reiskius." De Pisandro conferas Not. 65. Nomina autem illa et *ὁ μετὰ Πεισάνδρου κατάλογος* et *ὁ τῶν Ἀθηναίων κατάλογος* subobscura sunt. Fortasse Pisandro a triginta viris mandatum erat, ut *τοὺς ἔξω καταλόγου* in alias tabulas referret: atque *τοῖς τρισχιλίοις* cum contemtu quodam, patriae verbis oppositi esse videntur *οἱ Ἀθηναῖοι.*

318) Lysias p. 115.

319) Xen. Hell. II, 3, 51. 52.

320) Xenophon ib.

321) Xen. II, 4, 2.

322) Lys. in Evandr. p. 231. pro Mantith. p. 157; quapropter post democratiam restitutam Athenienses eos oderant.

vide Lys. l. l. Xen. Hell. III, 1, 4. — conferas Boeckh, (Staatsh. II, p. 208.). Multi ex iis, qui sub triginta viris equites fuerant, expeditionis Cyreae socii fuisse videntur. vide Schneider. ad Xen. l. l. conferas Not. 90. — Hipparchus erat Lysimachus. Xen. II, 4, 8. 26. Isocr. in Call. c. 3.

323) Xen. II, 3, 21. 40. Lysias p. 94.

324) Xen. II, 3, 22 — 56.

325) Schneiderus ad Hell. II, 2, 22: putat, apologiam Theramenis quo tempore Lysias Eratosthenem accusarit, scriptam circumlatam fuisse et vulgatam, ex his Lysiae locis apparere: [p. 110] *πάντα γὰρ τὰ ὑπ' ἐμοῦ εἰρημένα ἐν τῇ βουλῇ ἀπολογούμενος ἔλεγεν* — [p. 107] *πυνθάνομαι γὰρ ταῦτα ἀπολογήσασθαι αὐτόν*: ex quibus locis nihil apparet, nisi Theramenem se defendisse. Si autem Schneiderus, ut idem probet, etiam haec Lysiae verba [p. 107] laudat: *νῦν δ' ὁρῶ τάς τε ἀπολογίας εἰς ἐκεῖνον ἀναφερομένας*: major est error; significant enim verba, Eratosthenem se defendisse laudando Theramene, suam defensionem ad illum retulisse. — Diodoro XIV, 5 testante, Theramenem servare conatus est Socrates una cum duobus aliis: inter quos fortasse erat Isocrates (vide Pseudopl. vit. Isocr.).

326) Id arbitratur Schneiderus ad Hell II, 3, 54. fretus Lysiae loco p. 252: *Σάτυρος καὶ Κλεοφῶν, οἱ τῶν τριάκοντα γενόμενοι*: quem tamen locum corruptum esse, satis ostendit una nominatus Cleophon. — Secundum Diodorum XIV, 32 postea tyranni Thrasybulum permovere studebant, ut in Theramenis locum succederet.

327) Lysias p. 115. p. 127. p. 259. Haec populi calamitas vocatur *ἡ τοῦ δήμου φυγή*. Conferas Isocr. Areop. 27: *εἰς τὸν Πειραῖα φεύγειν πλείονας ἢ πεντακισχιλίους ἠνάγκασαν.*

328) Conferas C. O. Müller. Dor. II. p. 41.

329) Videas Theramenis verba in defensione ejus apud Xenoph. II, 3, 42. 44.

330) Xenophon commemorat Thebas et Megara; praeterea multi Argos confugerunt (Justin. V, 9). Chalcida (confer Lys. p. 218). Megara se contulit Lysias orator (vide Pseudoplut. vit. Lys.). Elida Andocides (vide Ejusd. vit. Andoc.): vide sis etiam Lys. p. 262.

331) Lysias de triginta viris (p. 115): *φεύγοντας δὲ ὑμᾶς ἐκ τῶν πόλεων ἐξῃτοῦντο.* Plut. Lysandr. 27 de Lacedaemoniorum decreto: *τοὺς φεύγοντας ἐξ Ἀθηνῶν ἀγωγίμους πανταχόθεν εἶναι, ἐκ σπόνδους δὲ τοὺς ἐνισταμέ-*

νους τοῖς ἄγουσι. Plut. Pelop. 6. Dinarch. in Demosth. §. 25. Justin. V, 9.

332) De Argivis conferas Diodor. XIV, 6. Demosth. de Rhod. libert. p. 197. de Thebanis Plut. ll. ll. Dinarch. l. l.

333) Justin. V, 9. Ismenias certe idem est, quem postea saepius commemoratum invenimus, ut democratiae fautorem. cf. Xen. Hell. III, 5, 7. Oligarchi autem Áttici Lacedaemoniis, ut adversus Thrasybuleos auxilia mitterent, persuaserunt eo praetextu, *ὅτι Βοιωτῶν ἡ πόλις ἔσται* Lys. p. 106. — Etiam, qui postea bello Eleensi Lacedaemoniis prae ceteris adversabatur inter Eleos, Thrasydaeus (vide Xen. Hell. III, 2, 17) tunc Atheniensium exsules adjuvabat (vide Pseudopl. vit. Lys. ubi lege *Θρασυδαῖος* pro *Θρασυλαῖος*). Idem a Pausania III, 8, 2 vocatur *Θάσυδρος*, nisi eo quoque loco nomen corruptum est. — Quia Thebis profecti in patriam redierant, Thrasybulus ejusque socii postea Thebas miserunt Minervam et Heraclem, qui in templo Herculis collocarentur. vide Pausan. IX, 11, 4.

334) Apud Diodorum XIV, 32. 33. res ita se excipiunt: Phyle a Thrasybulo occupata; tyranni castellum oppugnare instituunt, sed panico terrore percellitur exercitus (Xen. §. 3.); populus urbe ejectus; Eleusinii et Salaminii interfecti (Xen. §. 8. — 10.); tyranni Therameni societatem offerunt: Spartam legatos mittunt; castra ponunt ad Acharnas; ibi fugantur (Xen. §. 4. — 7.); exsules Piraeum occupant: pugna ibi committitur (Xen. §. 10. — 19.) — Idem fere rerum gestarum ordo apud Justinum V, 9.

335) Quum enim Plutarchus, de Cratippi opere agens de Glor. Athen. c. 1, de septuaginta viris bellum contra tyrannos suscipientibus loquatur: idem numerus exstitisse videtur apud Cratippum.

336) Paus. I, 29. Aristot. Rhetor. ad Alex. c. 9. Cornel. Nep. vit. Thras. 2. Wesselingius ita scriptores inter se conciliat, ut numerum inter eundum paulatim accrevisse existimet. Sed quum Xenophon diserte tradat Thrasybulum cum septuaginta hominibus Thebis esse profectum, non video, quomodo numerus illorum ad triginta homines, quos exhibet Cornelius Nepos, accrevisse dici possit.

337) Antea *τοὺς τρισχιλίους* atque Equites eduxerant triginta: ex illis fortasse non pauci tunc ad exsules transierant: quapropter in eorum locum successit Laconicum praesidium. Ad hanc rem pertinet locus apud Aeschinem advers. Ctesiph. §. 187.: *Ἀρχῖνος ὁ ἐκ Κοίλης — ἔγραψε πρῶτον μὲν αὐτοῖς (τοῖς ἀπὸ Φυλῆς φεύγοντα τὸν δῆμον καταγαγοῦ-*

σιν) εἰς θυσίαν καὶ ἀναθήματα δοῦναι χιλίας δραχμάς, καὶ τοῦτ' ἐστιν ἔλαττον ἢ δέκα δραχμαὶ κατ' ἄνδρα ἕκαστον — καὶ οὐ, δὲ τοῦτο εἰκῇ πρᾶξαι κελεύει, ἀλλ' ἀκριβῶς τὴν βουλὴν σκεψαμένην ὅσοι αὐτῶν ἐπὶ Φυλῆς ἐπολιορκήθησαν, ὅτε Λακεδαιμόνιοι καὶ οἱ τριάκοντα προσέβαλλον τοῖς καταλαβοῦσι Φυλήν. — Mira autem dicendi forma invenitur apud Lysiam in Agorat. p. 135, ubi qui Phylen occuparant, dicuntur εἶναι ἐπὶ Φυλὴν (§. 77.) atque Anytus vocatur στρατηγῶν ἐπὶ Φυλὴν (§. 78. cf. §. 82.: ἐπὶ Φυλῇ καὶ ἐν Πειραιεῖ, ubi Bremius, qui §. 77. id neglexerat, legendum censet ἐπὶ Φυλῇ). Praeter Thrasybulum jam tunc excelluisse dicuntur Archinus (Aesch. l. l. Demosth. Tim. p. 741), Anytus (cf. Not. 329, Lys l, l.).

338) Diodor. XIV, 32 ipse dicit Phylen centum stadia abesse Athenis: quumque e Thucydide II, 21 pro certo sciamus, sexaginta stadiorum intervallum inter Acharnas atque Athenas interjectum fuisse: certe Acharnae longius quindecim stadia a Phyla aberant. — Schneiderus autem ad Xen. II, 4, 2: eundem locum a Diodero atque a Xenophonte significari putat.

339) Diod. XIV, 32. Justin. V, 9.

340) Diod. l. l. Justin. l. l. Mirum est, Cornelium Nepotem tale quid omisisse.

341) Lysias p. 105. 126. Diod. XIV, 32: prior Lysiae locus etiam tempus satis certe indicat. — Leon Salaminius jam vivo Theramene interfectus erat. Nescio, quid significare voluerit Hermannus (Lehrb. d. Gr. St. A. §. 169. Not. 3.). Cur autem Salaminiis prae aliis insidiati sunt tyranni? fortasse Salaminii, ut Parali, libertatis studio insignes erant.

342) Cornel. Nep. vit. Thras. 2.

343) Non assentior Schneidero eundem fuisse Cleocritum putanti, quem cavilletur Aristophanes Av. 877. Ran. 1085 (ubi vehementer Schneiderus in eo fallitur, quod Aves serius drama quam Ranas dicit).

344) Conferas prae ceteris Lys. in Erasth. p. 105. Diod. Justin. Nepos. — Lys. de Affect. tyr. §. 14. (p. 222) e Reiskii conjectura, Bekkero probata.

345) Lys. p. 105. Fortasse idem Epichares est apud Andociden de Myst. § 95.

346) Lys. p. 105. Idem fortasse Hippocles commemoratur Thucyd. VIII, 17.

347) Conferatur Harpocration, quem Schneiderus ad Xenophontem laudat.

348) Apud Isocratem Call. 3 antea legebatur Οἴνων; Har-

pocration autem exhibet Ῥίνων. Miror autem Schneiderum eundem putasse, qui commemoratur in fragmento Heraclidis Pontici: τούτων δὲ καταλυθέντων Θρασύβουλος καὶ Ῥίνων προςεστήκεσαν, ὃς ἦν ἀνὴρ καλὸς κἀγαθός; ubi non dubito, quin legendum sit Δίων: vide sis Plat. Menex. in. Xen. Hell. IV, 8, 17.

349) Eratosthenem inter decem viros fuisse videmus ex his Lysiae (p. 106) verbis: Φείδιον αἱρεθεὶς ὑμᾶς διαλλάξαι καὶ καταγαγεῖν, τῶν αὐτῶν ἔργων Ἐρατοσθένει μετεῖχεν.

350) Lys. p. 105. 106.

351) Lys. p. 262. Διότιμος Ἀχαρνεὺς καὶ οἱ αἱρεθέντες μετ' αὐτοῦ τοὺς δημότας ὁπλίσαι ἀπὸ τῶν εἰσενεχθέντων χρημάτων. Fortasse idem Diotimus commemoratur. Xen. Hell. I, 3, 12.

352) Vide Pseudo-Plut. vit. Lys. ubi qui una cum Lysia missus esse dicitur Herman, nescio quis fuerit. Justin. V, 9. eum quingentos milites, stipendio suo instructos, in auxilium Athenarum misisse tradit. — Tunc etiam Gelarchus quidam iis, qui Piraeum tenebant, quinque talenta mutuo dedit. Demosth. in Lept. p. 502.

353) Isocr. Call. 20. Non recte autem huc refert Schneiderus (ad Xen. §. 27.) locum Lysiae pro Polystr. p. 680 R. [p. 192 T.]: καταδρομῆς γὰρ γενομένης τῶν φυγάδων, οἳ οὐ μόνον ἐνθάδε ὅ οἷοί τ' ἦσαν κακὸν εἰργάζοντο, ἀλλὰ καὶ ἀπὸ τοῦ τείχους ἔφερον, καὶ ἦγον ὑμᾶς. Nam φυγάδες sunt illi, qui quadringentorum virorum dominatu sublato Oreum occuparant atque inde incursiones in Atticam faciebant. Atque quis talia de Thrasybuleis dicta esse putet democratiae tempore? Accedit, quod, nisi omnia fallunt, oratio pro Polystrato habita est non ita multo post quadringentos viros urbe ejectos: certe ante triginta viros constitutos.

354) Lys. p. 105. De centum talentis conferas Demosth. Lept. p. 460. Isocr. Areop. c. 28. Plut. Lys. 21.

355) Lysias p. 166.

356) Xen. II, 4, 29. Plut. Lys. 21. Diod. 14, 33.

357) Andoc. de Myst. §. 90.

358) Cornel. Nep. vit. Thrasyb. 3. Justin. V, 10 (Pausanias decem tyrannos ex urbe Eleusina migrare jubet.) Iis accedit Meierus de Bon. Damnat. p. 189.

359) Quo tempore oratio adversus Eratosthenem habita est, certe in urbe degebat Phidon Lys. p. 106 (χρὴ ὀργίζεσθαι) Epichares anno 403. vide Andoc. de Myst. §. 95.

[360]) Lys. p. 195. Haec est ἡ τοῦ δήμου κάθοδος.

[361]) Isocrat. Areop. c. 27: αὐτοὺς τοὺς αἰτιωτάτους τῶν κακῶν ἀνελόντες.

[362]) Lysias p. 101. ὅσοι δὲ ξένοι ἐπιδημοῦσιν, εἴσονται, πότερον ἀδίκως τοὺς τριάκοντα ἐκκηρύττουσιν ἐκ τῶν πόλεων ἢ δικαίως. Hermannus quidem (§. 169. Not. 6) putat, eos e Graeciae urbibus expulsos, deinde Eleusina confugisse.

[363]) De bello cum iis, qui Eleusina tenebant, gesto conf. Plat. Menex. p. 244: ἔκ τε γὰρ τοῦ Πειραιέως καὶ τοῦ ἄστεος ὡς ἀσμένως καὶ οἰκείως ἀλλήλοις συνέμιξαν οἱ πολῖται καὶ παρ' ἐλπίδα τοῖς ἄλλοις Ἕλλησι, τόν τε πρὸς τοὺς ἐν Ἐλευσῖνι πόλεμον ὡς μετρίως ἔθεντο. — Lys. p. 60 οἱ Ἐλευσινόθεν.

[364]) Conferas Hinrichsium egregie hac de re disputantem (de Crit. Theram. Thrasyb. p. 45. 46.).

EXCURSUS I.

B. P. A. XXI. Ol. XCII, 2. Archonte Theopompo $\frac{411}{410}$ *a. Chr.*

Lacedaemonii, duce Hegesandrida Euboeam occupant. Quadringentorum dominatu sublato, τοῖς πεντακισχιλίοις respublica traditur. (Thucyd. 8, 95 — 97, Lys. p. 188.) Julio mense.

Pugna ad Cynossema. Mindarum Euboeam mittit Hippocratem et Epiclem, qui classem arcesserent. (Thucyd. 8, 104 — 107.) Augusto mense.

Alcibiades Samum navigat. (Thucyd. 8, 108.) πρὸς τὸ μετόπωρον. Augusto medio.

Tissaphernes Ephesum pervenit. (Thucyd. 8, 109.)

Euboeenses molem exstruere incipiunt. (Diod. 13, 47.) Epicles Euboea proficiscitur cum quinquaginta navibus, quae quidem naufragio ad Athon intercipiuntur. (Diod. 41.)

Theramenes, cum triginta navibus ab Atheniensibus missus, ut Euboeenses a mole exstruenda arceret, insulas circumnavigat. Archelaum, Pydnam obsidentem adjuvat. (Diod. 13, 47. 49.) Sept. — Febr. 410.

Dorieus Rhodum mittitur, seditionem oppressurus. (Diod. 13, 38.) init. Sept.

Hippocrates et Hegesandridas in Hellespontum, ut videtur, perveniunt. Proelium quoddam committitur.

Thymocharis in Hellespontum pervenit: iterum proelium committitur. (Xen. I, 1, 1.)

Μετ᾽ ὀλίγον δὲ τούτων, ἀρχομένου χειμῶνος Dorieus in Hellespontum revertitur. Pugna ad Rhoeteum. (Xen. I, 1, 2—3. Diod. 13, 45.)

Pugna Abydena. (Xen. I, 1, 4—7. Diod. 45. 46.) cui supervenit Alcibiades. (Plut. Alcib. 27.)

Atheniensium duces copias partiuntur, Thrasyllus Athenas mittitur (§. 8.).

Tissaphernes Ephesum pervenit, ad quem Alcibiades proficiscitur. (§. 9. 10. Pl. 27. 28.)

Mindarus copias suas colligit. *χειμῶνος λήγοντος.* (Diod. 49.) Februarii fine. — idem faciunt duces Atheniensium. Pugna ad Cyzicum committitur. (Xen. I, 1, 11—18. Diod. 13, 49—51. Plut. Alcib. 28. Front. II, 5, 44. Poly. I, 40, 9. Plat. Men. 243.)

Athenienses Cyzicum occupant. (§. 19. Front. VII, 19, 6.) expeditiones faciunt adversus Perinthum et Selymbriam (§. 21.), Chrysopolin communiunt, ibique portorio instituto, relinquunt Theramenem et Eubulum (§. 22. Diod. 64. Polyb. 4, 44.), ceteri duces in Hellespontum proficiscuntur, Thrasybulus in Thraciam (Diod. 64.). Haec omnia gesta, ut videtur, Martio et Aprili mensibus.

Lacedaemonii pacis petendae causa legatos Athenas mittunt. (Diod. 13, 51.) Martio mense. Tunc jam *ἡ τῶν πεντακισχιλίων πολιτεία* dissoluta et vetus populi imperium restauratum esse videtur. Agis fortasse ob iram repudiatae ab Atheniensibus pacis expeditionem adversus Athenas suscipit, repellitur à Thrasyllo (Xen. I, 1, 33. 34.); tunc Clearchum in Hellespontum mittit (§. 35. 36.) Aprilis initio.

In idem tempus incidit Thasi a Lacedaemoniis defectio atque Cratesippidae Chium adventus (§. 32.) — Tunc etiam ducibus Syracusanis exsilium a civibus decretum nuntiatur (§. 27.—31.).

B. P. A. XXII. Ol. XCII, $\frac{2}{3}$. *Arch.* $\frac{\textit{Theopompo}}{\textit{Glaucippo}}$. $\frac{410}{409}$.

Lacedaemonii Pylum recuperant; (Xen. I, 2, 18. Diod. 64.) fortasse mense Majo (vid. Not. 50). In idem tempus incidere videtur Nisaea a Peloponnesiis recuperata et Atheniensium victoria (Diod. 65.).

Thrasyllus Athenis proficiscitur, *ἀρχομένου θέρους*; Junio mense; expeditionem adversus Ephesum suscipit atque re-

pellitur (Xen. I, 2, 1 — 10. Diod. 13, 64.). Sestum proficiscitur: inde universus Atheniensium exercitus Lampsacum pervenit: καὶ χειμὼν ἐπῄει (§. 13.). — Alcibiadei nolunt Thrasylleis misceri (§. 15. Plut. 29.). Lampsacum communiunt; pugna ad Abydum; uterque exercitus miscetur (§. 17. Plut. 19.). Theramenes per hoc tempus ad Chalcedona et Thrasybulus in Thracia versati esse videntur. Quapropter Alcibiades tota aestate 410 nihil memoratu dignum perficere potuit.

B. P. A. XXIII. Ol. XCII, $\frac{3}{4}$. *Arch.* $\frac{Glaucippo}{Diocle}$. $\frac{409}{408}$.

Alcibiades et Thrasyllus adjunguntur Therameni ad Chalcedona. Alcibiadis adversus Thracas expeditio (Xen. I, 3, 3. Plut. 29.). — pugna ad Chalcedona committitur. Xen. I, 3, 1—7. Diod. 13, 66.

Alcibiades versus Hellespontum proficiscitur. Ceteri praetores inducias componunt cum Tissapherne et Chalcedoniis. (Xen. §. 8. — 9. Diod. 66.) Legati Atheniensium ad regem Persarum mittuntur: cum quibus proficiscitur Hermocrates. (Xen. §. 13.) — Alcibiades interim capit Selymbriam. (Xen. §. 10. Plut. Alc. 30.)

Byzantii expugnatio (Xen. §. 15. — 22. Diodor. 13, 66. 67. Plut 31. Poly. I, 48. Front. III, 11, 3.) ut videtur, fine aestatis vel initio auctumni: nam Pharnabazus et legati Athenienses ἐν Γορδίῳ ὄντες τὸν χειμῶνα, illius rei certiores fiunt.

Hunc in annum incidere videntur Selinus et Himera urbes a Syracusanis dirutae (vid. Not. 246).

B. P. A. XXIV. Ol. XCIII, $\frac{4}{1}$. *Arch.* $\frac{Diocle}{Euctemone}$. $\frac{408}{407}$.

Ἀρχομένου τοῦ ἔαρος Cyrus obviam fit Atheniensium legatis, quos per tres annos retinet (Xen. I, 4, 2 — 7).

Alcibiades reditum in patriam parans, Samum proficiscitur — Thrasybulus in Thraciam, atque Thasum occupat — Thrasyllus Athenas praemittitur: Athenienses praetores creant Alcibiadem, Cononem, Thrasybulum. Alcibiades Parum, deinde Gythion petit (Xen. I, 4, 8 — 11). Haec omnia mensibus Aprili, Majo et Junii initio acta sunt.

Alcibiades ad Piraeum appellit ea die, ᾗ Πλυντήρια ἦγεν ἡ πόλις i. e. 17. Jun. 408. Athenis versatur certe usque ad XX Boedr. i. e 8. Oct. (Xen. I, 4, 12 — 21. Diod. XIII, 68. 69. Vide Not. 134. 133.)

Alcibiades Andrum proficiscitur, inde Samum. (Xen. I, 4. 22. 23. Diod. XIII, 69.)

πρότερον τούτων οὐ πολλῷ χρόνῳ: Lysander Cratesip-

pidae navarcho succedit: (fortasse medio Octobri) Rhodum proficiscitur. Hoc in tempus incidere videtur Rhodi ξυνοικισμὸς (vide Not. 53).

Lysander Ephesum pervenit, ibique diu versatus esse videtur. (Plut. Lys. 3) deinde apud Cyrum commoratur. (Xen. I, 5, 3 — 9. Plut. Lys. 4.) Haec satis explent hiemem B. P. A. XXIV.

B. P. A. XXV. Ol. XCIII, $\frac{1}{2}$. Arch. $\frac{Euctemone}{Antigene}$. $\frac{407}{406}$.

Pugna Notiensis. (Xen. I, 5, 10 — 14. Plut. Lys. 5. Alc. 35. Diod. XIII, 71.) Lysander Delphinium et Teon occupat. (Xen. §. 15. Diod. 76.)

Vere hujus anni fortasse magna Agidis contra Athenas expeditio facta est (Diod. 72).

Alcibiadi imperium abrogatur: decem praetores creantur. (Xen. §. 16. Plut. Alc. 36. Diod. 74.) — Variae Cononis per hanc aestatem expeditiones. (§. 20.)

Callicratidas Lysandro succedit. (Xen. I, 6, 1. Diod. 76. Plut. Lys. 7.) auctumno 407. Quae a Xenophonte (I, 6, 2 — 11) narrantur, per hiemem $\frac{407}{406}$ facta esse videntur.

B. P. A. XXVI. Ol. XCIII, $\frac{2}{3}$. Arch. $\frac{Antigene}{Callia}$. $\frac{406}{405}$.

Initio veris: Callicratidas Lesbum proficiscitur, Methymnam occupat, Cononem ad Mitylenam vincit, eumque obsidet. (Xen. I, 6, 12 — 17. Diod. 13, 76 — 79. Polyaen. I, 48, 2. 4.)

Aestate: Athenienses summo cum studio parant classem, qua Conon obsidione solvatur. (Xen. §. 24. Diod. 13, 97. Justin. V, 8. Arist. Ran. 33. 191. 694.) — Pugna ad Arginusas. (Xen. §. 29. — 36. Diod. 13, 97. 98.) — Eteonicus Cononem frustratur. (Xen. §. 37. — 39. Poly. I, 44.)

Atheniensium duces capitis damnantur Octobr. postquam τὰ Ἀπατούρια acta sunt. Xen. I, 7. Diod. 13, 99.

Per hiemem, Eteonicus cum Peloponnesiorum exercitu Chii commoratur: Araeus navarchus factus, et ἐπιστολεὺς ejus Lysander, qui fortasse jam hieme in Asiam pervenerunt.

Eadem hieme Lacedaemonii iterum pacis petendae causa legatos Athenas miserunt (vid. Not. 54).

Aristophanis Ranae et Platonis Cleophon actae ἐπὶ Ληναίοις. Gamelione Archontis Calliae. Decembr. 406.

B. P. A. XXVII. Ol. XCIII, $\frac{3}{4}$. Arch. $\frac{Callia}{Alexia}$.

Lysander Miletum venit, Διονυσίων ὄντων i. e. Elaphebolione. Aprili mense. (Diod. 13, 104. vide Not. 56.) Quae

a Xenophonte (II, 1, 15 — 19) narrantur, facta esse videntur usque ad initium Septembris mensis. Tunc pugna ad Aegos potamos commissa. (Xen. II, 1, 20 — 30. Diod. 13, 105. 106. Plut. Lys. 9 — 11. Front. II, 1, 18. Just. 5, 8.)

Ante pugnam commissam Lysander narratur Atticam petiisse. (Not 57.)

Lysander occupat Byzantium et Chalcedona. (Xen. II, 2. §. 1. 2.) deinde Mitylenam, aliasque Graeciae civitates (§. 5. — 9.). Haec gesta esse videntur mensibus Septembri et Octobri; et Lysander Atticam attigisse initio Novembris. — Theramenes ad Lysandrum proficiscitur initio Decembris: atque commoratur apud eum tres menses (§. 17.). Spartam missus esse videtur Martio mense. Atque Athenienses Lacedaemoniis se tradunt. XVI. Munych. i. e. 29. Mart. 404 a. Chr. (Plut. Lys. 15). Finis belli Peloponesiaci.

Vere *Ol. XCIII, 4. Archonte Alexia.* 404.

Triginta viri constituuntur, fortasse fine Maji (cf. Not. 292).

Ol. XCIV, 1. Archonte Pythodoro.

Per hiemem $\frac{404}{403}$ Thrasybulus Phylen occupat. Pugna Piraeensis incidere videtur in finem Januarii 403. Tunc constituti sunt decemviri.

Ol. XCIV, 2. Ἀναρχία.

Anarchia erat inde a Julio mense usque ad populi reditum; i. e. Septembrem medium. Tunc Archon creatus Euclides.

EXCURSUS II.

Quae de tempore Thucydideo exhibet Diodorus, etsi levissimi sunt momenti, id tamen affatim nos docent, quanta fides scriptori illi praesertim in rebus chronologicis sit habenda. En chronologia Diodorea comparata cum Thucydidea:

Archonte Euthydemo. Ol. LXXXVII, 2. (431.)

Diod. XII, 41 — 42: Initium belli Peloponnesiaci. Thebani Plataeas aggrediuntur. Lacedaemonii incursionem faciunt in Atticam. (Eae res gestae incidunt in annum proximi Archontis Pythodori. Ol. 87, 1.) Athenienses, duce Carcino, Peloponnesum infestant.

Archonte Apollodoro. *Ol. LXXXVII,* 3. (430.)

Diod. XII, 43, 45: Athenienses Peloponnesum vastare pergunt. Brasidas Methonam ab iis tuetur. Athenienses Elidem vastant, Cephalleniam occupant. — Locridem depopulantur. Aeginetas insula ejiciunt. (Haec omnia gesta sunt B. P. A. I. aestate 431 a. Chr. vide Thucyd. II, 25. 30. 26. 27.) — Athenienses incursionem faciunt in Megaridem (auctumno 431. Thucyd. II, 31.).

Secunda Lacedaemoniorum in Atticam incursio: pestilentia Athenis orta.

Archonte Epaminonda. *Ol. LXXXVII,* 4. (429.)

Diod. XII, 46 — 48: Pericles moritur. Agnon expugnat Potidaeam. (Id factum hieme superioris anni, Ol. 87, 3, cf. Thucyd. II, 70.) — Archidamus Plataeas aggreditur (vere Ol. 87, 3) Atheniensium exercitus in Thracia fugatus. — Lacedaemonii Acarnaniam invadunt. Phormionis in sinu Crissaeo victoriae (haec omnia recte).

Archonte Diotimo. *Ol. LXXXVIII,* 1. (428.)

Diod. XII, 49 — 52: Lacedaemonii Salaminа adoriuntur, sed repelluntur. (Id factum B. P. A. III. sub fine aestatis 429. Thucyd. II, 93.) — Sitalcae contra Perdiccam et Chalcidicas urbes expeditio (hieme B. P. A. III. Thucyd. II, 95). Tertia Lacedaemoniorum in Atticam incursio (haec res sola recto tempore narrata).

Archonte Euclide. *Ol. LXXXVIII,* 2. (427.)

Diod. XII, 53 — 57: Athenienses Leontinis auxilia mittunt. (Id recte conf. Thucyd. III, 86: sed Diodorus unum in annum omnia quae Athenienses per tres annos in Sicilia gesserunt, contulit. Secundum Thucydidem (III, 86) hieme B. P. A. V. Athenienses contra Liparaeorum insulas expeditionem faciunt — (III, 90) aestate B. P. A. VI, Mylas adoriuntur atque (III, 99) deinde Locros vincunt, — (IV, 65) pax inter Siculos composita est aestate B. P. A. VIII, 424 a. Chr.) — Lesbus ab Atheniensibus deficit, sed mox ad obsequium redigitur (Lesbi defectio incidit in B. P. A. IV, 428. Ol. 87, 4. Thucyd. III, 2 coll. c. 8.: sed deditio ejus in eundem annum, in quo eam ponit Diodorus. cf. Thuc. III, 27.) — Pars Plataeensium obsessorum evadit (hieme $\frac{428}{427}$ Thucyd. III, 20.) — Corcyraeorum seditio (recte hoc in anno ponitur).

Archonte Euthydemo. Ol. LXXXVIII, 3. (426.)

Diodor. XII, 58, 59: Pestis denuo Athenis saevit. — Athenienses Delum lustrant. — Lacedaemonii ab incursione, quam in Atticam facturi sunt, terrae motibus deterrentur. Trachis colonia deducta. (Haec omnia bene. cf. Thucyd. IV, 88.)

Archonte Stratocle. Ol. LXXXVIII, 4. (425.)

Diod. XII, 60—63: Demosthenes in Aetolia vincitur — Ampraciotas magna clade afficit — (illa res aestate, haec hieme B. P. A. VI. gesta cf. Thucyd. III, 94. 105.). — Res ad Pylum gestae (recto loco narratae).

Archonte Isarcho. Ol. LXXXIX, 1. (424.)

Diod. XII, 65—70: Niciae expeditiones; adversus Melum insulam et Boeotiam (aestate B. P. A. VI, 426 a. Chr. Thucyd. III, 91), adversus Corinthum et Methonam (B. P. A. VII, sub finem aestatis 425 a. Chr. Thucyd. IV, 42), adversus Cythera et Thyreatin (haec recte cf. Thuc. IV, 53. 56.). — Res in Megaride gestae. — Brasidae in Thraciam expeditio — Atheniensium ad Delium clades (etiam haec recte, cf. Thucyd. IV, 52—116).

Archonte Aminia. Ol. LXXXIX, 2. (423.)

Diod. XII, 72: Lesbiorum exsules Antandro ejiciuntur — Atheniensium classis ad Cachetem fluvium deleta (utraque res pertinet ad annum superiorem, Thucyd. IV, 75). — In unum induciae pactae inter Athenienses et Spartanos.

Archonte Alcaeo. Ol. LXXXIX, 3. (422.)

Diod. XII, 73, 74: Pugna ad Amphipolin commissa, in qua cadunt Brasidas et Cleon. Pax inter Athenienses et Spartanos composita.

Archonte Aristone. Ol. LXXXIX, 4. (421.)

Diod. XII, 75, 76: Novi tumultus in Graecia orti — Athenienses Scionaeos urbe ejiciunt. (Recte: cf. Thucyd. V, 21—39.)

Archonte Aristophylo. Ol. XC, 1. (420.)

Diod. XII, 77: Athenienses Deliis insulam reddunt (priore anno Thucyd. V, 32) — societatem cum Argivis ineunt. — Populi Thessaliae et vicinae regionis bellum inferunt Heracleensibus (recte cf. Thuc. V, 51), qui quidem Thebanos arcessunt

(hoc insequenti anno cf. Thucyd. V, 52). Mecyberna ab Olynthiis capta (superiore anno Thucyd. V, 39).

Archonte Archia. *Ol. XC,* 2. (419.)

Diod. XII, 78, 79: Argivi, quibus Athenienses, duce Alcibiade, Mantineenses atque Elei accesserant, bellum Lacedaemoniis inferunt: primo nihil ab utraque parte perficitur. — deinde magna ad Mantineam pugna. (Omnia, quae hoc sub anno narrantur, in sequentem incidunt. cf. Thucyd. V, 57 — 81.)

Archonte Antiphonte *Ol. XC,* 3. (418.)

Diod. XII, 80: Apud Argivos democratia sublata et restituta (illud factum hieme $\frac{418}{417}$, Thuc. V, 81; hoc aestate 417, Thuc. V, 82). Bellum inter Phocenses et Locros — Athenienses, Nicia duce, capiunt Cythera et Nisaeam. (B. P. A. VIII, 424. cf. Thucyd. IV, 53. 66. Diod. XII, 65.) atque Melum (hieme B. P. A. XVI. $\frac{416}{415}$. Thucyd. V, 116.).

Archonte Euphemo. *Ol. XC,* 4. (417.)

Diod. XII, 81: Bellum inter Spartanos et Argivos, quibus auxilio venit Alcibiades (Alcibiades Argos venit aestate 416. Thucyd. V, 84).

Ordo rerum magna Siciliensi expeditione gestarum, quem exhibet Diodorus, non multum discrepat a Thucydidis chronologia.

